DE M. ANNAEI LUCANI VITA E SCRIPTIS

Hermann Genthe

DE
M. ANNAEI LUCANI
VITA ET SCRIPTIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTÉRARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
UNA CUM SENTENTIIS PROPOSITIS
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE OBTINENDOS
DIE XXIII. M. IULII A. MDCCCLVIIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HERMANNUS GENTHE
ISLEBIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
LUCIANUS MUELLER, PHIL. CAND.
EDUARDUS PINDER, PHIL. CAND.
GUSTAVUS UHLICH, PHIL. CAND.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

III

MAURICIO HAUPTIO

SACRUM.

M. Annaei Lucani Pharsalia, quas lectio in scholis per quindecim saecula continuata aspersit maculas qui ratione et consilio detergeret, praeter Grotium Oudendorpium Bentleium post renatas litteras nacta est neminem. Nam eorum merita virorum, qui ante Grotium ad eam rem sese accinxerunt, non ex ingenii subtilitate iudicantur, sed ex codicum praestantia, quos typis inprimendos curaverunt; qui vero post Grotium usque ad hunc diem extitere Lucanum emendaturi Burmannus Cortius Weberus in singulis locis, quam in universo carmine recensendo meliore fortuna usi sunt. E quorum numero Burmannus et Cortius, infelici cum uterentur librorum manuscriptorum multitudine, poetae quid sit restituendum prae vitiosae scripturae farragine haud raro non viderunt. Iam quod ad illos triumviros in huius scriptionis initio nominatos attinet Grotius, pro aetatis qua fuit indole cum bene rem gesserit, nobis non satisfacit; Oudendorpius autem in editione, quam curaverat, quantum desideretur ipse ita et vidit et professus est, ut nolim vituperationem addere laudibus, quae ei tribuendae videntur; Bentleius denique, qui tres primos tantum carminis libros recensuit, nimis bonam cum mente sibi finxisset poetae imaginem, ipsa poetae verba saepenumero emendare studuit, ceteroquin eam recensendi rationem in-

gressus, quae in Lucano unice recta est. Sic evenit, ut Pharsalia iaceat nondum emendata; cui rei subveniri non potest nisi libris antiquissimis denuo excussis et cum arte adhibitis. Nam eius varietatis scripturae, quam ex plus quam septuaginta codicibus congessit Cortius, quaeque nunc in omnium est manibus, huius, inquam, nullus sit usus velim, qui quanta neglegentia sit conscripta ipse cum meo damno expertus sum, libro Lucani Berolinensi nr. 35 et codice Spanhemiano nr. 52 accurate excussis. In illo enim similem reperi omissorum aut falsorum messem atque Weberus in Marburgensi codice secatam in indice scholl. p. s. h. MDCCCXLI publici iuris fecit; ex hoc autem libri Oxoniensis et Italorum codicum variam scripturam, quae modo ad Romanam principem modo ad Grotianas editiones modo ad corporis poetarum Genevensis textum obiter enotata exhibetur, usque adeo neglegenter Cortius transcripsit, ut praeter quam quod multam partem omisit, numeros lectionesque codicum foedissime miscuerit. Cuius vituperationis pars pertinet ad C. Fr. Weberum, qui cum Cortii apparatum criticum typis mandaret, ipsum illum Spanhemii codicem ut d. IV Cal. Decembr. MDCCCXXVII Wilkenius Darmstadium transmitteret, per Buttmannum effecit sexque hebdomadum spatio quo excuteret concesso usus est. Cortii apparatum ubi cognovi ita se habere, necessitatem vidi simul mihi iniunctam omittendi quam de Pauli Constantinopolitani emendatione Pharsaliae inchoaveram scriptionem. Quam cum summis in philosophia honoribus obtinendis destinassem, quid in eius locum substituerem fuit circumspiciendum. Itaque eo sum delatus, ut de Lucani vita et scriptis commentationem ex scriniis protraherem, quam retinere adhuc et emendatam ac perpolitam postea emittere animum in-

duxeram. In qua ea condicione rem gessi, ut licere mihi crederem negare posse quod non potuerim et fateri nescire quod nesciam; in universum autem optabam, tenue scribendi genus, quod in talibus est necessarium, uti hic illic rei melius consuleret. Ad rem accedo.

Lucani genethliacon a Statio, vitae a Suetonio et a grammatico quodam anonymo scriptae sunt fontes ad quos, quantum innotuere, redeunt fere omnia, quaecunque in glossis Pharsaliae manuscriptis aut post Pomponium Infortunatum a Petro Crinito P. Scriverio Gr. Gyraldo G. I. Vossio aliis de poeta sunt tradita. Quae restant, si ab iis, quae Tacitus Martialis Iuvenalis tradunt, discesseris, aut fidem non habent aut erroris manifesta sunt. De vitis adhuc ineditis quae hic illic extant, ut in codice chartaceo 4. n. XVI bibliothecae Riccardianae et in codice XXXI. F. 31 bibliothecae Barberinae, sententiam ferre non licet: suspicio autem est, ex iisdem fontibus atque reliquas esse derivatas, cum nusquam quarti cuiusdam antiqui fontis vestigia compareant.

Genethliacon Lucani, quod Pollam Argentariam sibi imputari voluisse scribit Statius in silvarum libri alterius praefatione ad Meliorem Atedium, Calliopen diem natalem Lucani celebrantem inducit eiusque ore praecipua poetae opera ex temporis ordine enumerata paucis adumbrat, ut de scriptis quam de vita Lucani dicturo melius consulat. Explicationi cui Barthii vasto commentario male provisum erat, Marklandus per editionis silvarum consilium non satisfecit; neque Handius rem absolvit. — Suetonianam Lucani vitam, quae ex indice epicorum poetarum in libro de viris illustribus exhibito sola ad nos pervenit, Suetonio primus vindicavit Scaliger, post eum Casaubonus

Horatii vita comparata; contra C. Barthius Suetonium, quem Advv. VII 3, XI 21 auctorem esse concesserat, postquam ad Stat. Silvv. II 7 init. et v. 58 integram esse vitam et ad v. 58 et Advv. XI 21, XXIII 3 ab interpolatione vacuam negavit, postremo Advv. XXIII 28 omnino in dubio reliquit. De qua re nostro tempore disputare cum oleum perdere sit, paucis de ipsa vita, qualis ad nos pervenerit, dicam. Interpolationibus, quas in Horatii vitam Suetonianam irrepsisse hodie sciunt omnes, non tacta nedum »glossis et inquinamentis repleta« in alteram illam vitam, quam significavi, transformata est, quod Barthius Advv. XXIII 3 excogitavit; integra autem non est deficiente in initio nominis patriae diei natalis pueritiae descriptione: in fine, cuius verba corrupta sunt, nihil desideratur quamquam dissentiente Fr. Ritschelio, qui Parergg. Plaut. p. 624 Hieronymum putat in fine vitae legisse annum quo Lucanus sit mortuus: quasi vero Pisonianae coniurationis annus adeo fuerit ignotus. Insunt lacunae una post »recitavit« in Canteri et Brixiana editione expleta, altera post »cognovisset«. Fontes ex quibus Suetonius hauserit nescimus: illud autem certum est, quae de Lucani in Neronem odio tradantur ex Pharsalia non esse petita, sicut opinatus est Hermannus Doergens in accurato ceteroquin libello: über Suetons werk de viris illustribus Lips. 1857. p. 38. p. 103 respiciens ad locos Pharsaliae II 282, 301, VII 346, IIII 575, VI 301, VII 432 sqq., 642 sqq.; quibus ex sensibus si confinxisset Suetonius quae tradit, fraudulenti impostoris, non auctoris locupletis loco esset habendus: at ipse loquitur de Lucani *extantibus dictis*, quae quid sibi velint cum ex ipsa vita apparet, tum ex Tac. Ann. XV 63 et 65. Reliqua quae habet, cum sine ulla dubitatione aut suspi-

cione ponat, Suetonius ex auctore locupletissimo videtur hausisse, qui quidem Lucani admirator nequaquam fuit. Typis excusam esse hanc vitam in commentario Omniboni Leoniceni MCCCCLXXV evulgato et in editionibus Lucani Venetis a. MCCCCLXXVII, MCCCCLXXXVI, MCCCCXCII, MCCCCXCVIII, Brixiana a. MCCCCLXXXVI, Mediolanensibus a. MCCCCXCI, MCCCCXCIX, Sulpiciana a. MCCCCXCIII, duobus aliis saeculi quinti decimi docuit C. Fr. Weberus in indice scholl. Marburg. p. s. a. MDCCCLVI, postquam opinio, ante Casaubonum non esse impressam, inde a Scaligero diu obtinuerat. Casaubonus eam edidit in altera Suetoni editione Parisiis MDCVI p. 128 ex vetere, ut ait, codice descriptam a Theod. Cantero. Quamquam in epistola Canteri a. MDXCVI scripta (epistt. Casaub. Append. nr. XI p. 646 ed. Almelov.) nil eiusmodi dicitur. Editiones illae antiquissimae »particulam ad poetae huius vitam pertinentem ex dimidiato codice sumptam« exhibuerunt: nos vitam in octo codicibus extare novimus; in commentario Lucani Bernensi nr. 370, in Pharsaliae codice Bernensi olim Bongarsiano nr. 45, in Berolinensi nr. 35, in Cassellano, in Montepessulano nr. 113, in Parisinis 7502 et 8039, in Wittiano denique s. X, quem librum olim Sixti postea Ioannis de Witt senatoris Amstelodamensis fuisse Oudendorpius narrat, nunc cum reliquis Wittii libris venditum esse neque ubi sit sciri ad Weberum Hofmannus Peerlkampius scripsit. In quibus codicibus in fronte commentarii posita est vita, more expositorum illo enarrationi vitas scriptorum praefigendi: quem satis novimus ex vita Persii Suetoniana, cui Buhiero teste (diss. insertt. A°. X°. Amoenitt. litt. Scheelhorn. p. 1133) in Vossii et in Vulcanii libris et Iahnio teste in Laurentiano, in Monacensi s. IX, in Pa-

risino 8272 s. IX, in Guelferbytano denique praescribitur *A. Persii Flacci vita de commentario Probi Valerii sublata.*

Sed cur aliena magis repetere, quam quae re ipsa huc pertinent? Idem accidisse cernimus in altera quam supra significavi vita, quam et ex »commentario antiquissimo« sumptam princeps magnaque sequentium pars editionum exhibuerunt v. Weber. l. c. p. 3. p. 14, at in tribus codicibus extare scimus, quibus commentarius antiquus continetur, etenim in Bernensi nr. 370 ante Suetonianam vitam scriptam, in Monacensi D. 4. d. nr. 4610, in Wallersteinensi s. XIII. Cuius vitae auctorem Vaccam illum fuisse, qui in scholiis in Pharsaliam aliquoties *expositor Lucani* dicitur, cum Ugyenus librarius in codice Monacensi nr. 349 a. MCCXCIX scripto et Aegidius Zamorensis eiusdem saeculi homo ap. Nic. Anton. bibl. Hispan. vet. I 10. p. 52 significare videntur, tum demonstrare studuit C. Fr. Weberus in editionis Lucani T. III p. IV seq., Allg. Schulzeit. 1831. II. nr. 102. p. 809 sqq., ind. scholl. Marburg. p. s. a. 1856. p. 14 sq. non quidem sine veri similitudine, in eo tamen falsus, quod tertio p. Chr. saeculo fuisse dixit, qui vix ante sextum videatur fuisse.

Mire ex Suetoniana eam vitam C. Barthius ad Stat. Silvv. II 7, 1 et ad Theb. VI 322 p. 468 interpolatione, Nic. Antonius autem l. c. p. 51. 52. paraphrasi confectam esse putaverunt. In qua opinione perversissima refellenda non commorabor. Interpolata vita non est integraque ad nos pervenit. Unde hauserit scriptor, nescimus, sed locupletibus auctoribus plerumque usum esse cognoscimus; Suetonianam vitam utrum noverit an non, ambigi potest, indicium certe extat nullum, nisi quod quae Suetonius omisit posuerit: ea autem, quae Suetonius narravit, cum

omnino non exhibeat, tum ea, quae acerbius adversus Lucanum dicta sunt. Cuius rei, si Vacca Suetonianam vitam novit, aliam causam reperire nequeo nisi eam, quod non tam quaecunque de poeta memoriae tradita inveniret congerendi, quam poetae, quem in scholis erat explicaturus, commendandi interfuisse videatur. Ea, quae tradit, sive ex antiquiore commentario sive ex aliis fontibus hausit, fidem habent, cum ex maxima parte aliunde confirmentur. Sed fidem, qualem his testibus habere par sit, sequentibus singillatim persequi quam hic in transitu in universum praecipere lubet.

In Lucani aetate patria nomine describendis quae in aliis scriptoribus haud raro oboritur dubitatio non est: certa sunt omnia quae huc pertinent. Natus est Cordubae, quae Hispaniae Baeticae urbs opibus pariter ac litteris per multa saecula floruit. »Poetas Cordubenses pingue quiddam sonantes atque peregrinum« Q. Metelli Pii res gestas celebrasse auctor est Cicero pro Archia § 26 et qui eum excripsit, Seneca in praefatione Suasoriarum; Lucano mortuo poetam aliquem Cordubensem Romae fuisse notum indicat Martialis epigramma XII 63 (52): *Uncto Corduba laetior Venafro, — — — dic vestro rogo sit pudor poetae, Nec gratis recitet meos libellos. Ferrem si faceret bonus poeta, Cui possem dare mutuos honores*, cuius vocem extremam male quidam codices in *dolores* mutarunt. Quae litterarum studia a grammaticis, ut inscriptiones nonnullae testantur, propagata ex antiquitatis in medii aevi tempora duravere, paganis inde a tertio p. Chr. saeculo in christiana mutatis. In quam rem accuratius inquisiturus manum de tabula retinui, cum non potuerim inspicere duos libellos ab I. Chr. Bourretio conscriptos, quorum unus inscricitur »de schola

Cordubensi christiana sub gentis Ommaiadarum imperio. Parisiis. 1854«, alter autem »l'école chrétienne de Seville sous la domination des Visigothes. Paris. 1855«.

Oriundus fuit Lucanus Annaea gente, re familiari et liberalibus studiis tunc florente, fortasse una ex earum numero, a quibus a. u. DC in Baeticam traductis Corduba »patriciae coloniae« nomen duxit. De qua gente non habeo cur undique congeram quae antiquitus sunt tradita; pauca ponam aut omissa ab aliis aut aliter adhibita. Per scripta Senecarum exponendi occasionem de Annaeis mature scribi coeptum videtur, ut non temere suspicatus sit Th. Mommsenius »quellen des Hieronymus« in commentt. societ. litter. Saxonicae. 1850. p. 578 ea, quae ab Hieronymo ad Eusebii chronicon de M. Annaei Senecae rhetoris filiis adnotata sint, fluxisse ex praefatione quadam sive argumento Controversiarum libris praemisso. Quam coniecturam etsi omni dubitatione eximere nequeo, tamen spero probabiliorem evasuram, si ad medii aevi quosdam libellos animum advertero. Extant enim ipsa illa, quae Hieronymus de Annaeis passim adnotavit, praefandi causa iterum collecta in codice scholae medicae Montepessulanae nr. 132 saec. XII, fortasse in »introductione et commentariis in tragoedias Senecae«, quae sunt in eiusdem bibliothecae codice nr. 112 saec. XV et bibliothecae Laudunensis codice nr. 480 s. XV; eademque est coniectura de »adnotationibus aliquot de gente Agnea«, quae sunt in bibliothecae regiae Neapolitanae codice chartaceo s. XV nr. 131 catal. Ianell.

M. Annaeus Seneca Cordubensis rhetor ex Helvia tres genuerat filios, quos in Controversiarum praefationibus ubique ita nominat, ut primo loco M. Annaeum Novatum, deinde L. Annaeum Senecam, postremo M. Annaeum Melam

ponat. Ex his M. Annaeus Novatus a L. Iunio Gallione rhetore, qui patri amicus erat, adoptatus more non raro in totum Iunii Gallionis nomen transiit (*Iunius Gallio* Tac. Ann. I 3, XV 73; *Λούκιος Ἰούνιος Γαλλίων ὁ τοῦ Σενέκα ἀδελφός* Cass. Dio LX 35 p. 974 Reim.). Ipse fuit rhetor, senatoria dignitate, animo et moribus sibi non constans, pronus in adulationem Caesarum itaque, ut fere fit, eorumdem invidiis varie iactatus: Hieronymo ad Ol. CCXI teste propria se manu interfecit; sed secundum Dionem LXII 25 extr. necatus est iussu Neronis. Lepide eius in Claudii morte dictum servavit Cass. Dio LX 35. — Quem Statius Silvv. II 7, 32 *dulcem* appellat, Taciti dial. de oratt. c. 27 verbis: *malim hercule Gai Gracchi impetum aut L. Crassi maturitatem quam calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallionis* significari mihi persuasum habeo: nam L. Iunium Gallionem patrem, qui de arte oratoria scripsit (Quintil. III 2, 21), remissum pro suo ingenio fuisse testis est Quintilianus IX 2, 91. Fortasse ad eundem pertinent verba Hieronymi praef. in Iesaiam c. 8 *qui si flumen eloquentiae et concinnas declamationes desiderant, legant Tullium Quintilianum Gallionem Gabinianum* sqq.; ad neutrum tamen neque ad patrem neque ad filium referenda videntur ea, quae habet Apollinaris Sidonius epp. V 10 p. 140 Sirm., *tua vero tam clara, tam spectabilis dictio est, ut illi divisio Palaemonis, gravitas Gallionis, abundantia Delphidii, Agroecii disciplina — — non modo non superiora sed vix aequiparabilia scribantur.* Nomen Gallionum et alias extitisse fidem facit inscriptio a Morali, coronica genera de España IV p. 401 exhibita D. M. | M. VAL. M. F. GAL. | GALLIONI. AN. | XXXVIII. LICI | NIA. MAXVMA. | MATER. | F. C.

De L. Annaeo Seneca philosopho non est in animo dis-

serere multis, cum de eo plurimi dixerint: neque quaestionem illam de Seneca tragico cum eius nomine arcte coniunctam, quam multi tractavere, nemo confecit, suscipere volo. Haec tamen subicio. Ex aequalium hominum libris nil conficitur recte nisi alterum Senecam aliquem gente Annaea ortum aut Cordubae natum aut saltem affinem Annaeis tunc temporis non fuisse. Etenim Martialis loci qui afferuntur epigrammatum I 61 »*duosque Senecas unicumque Lucanum Facunda loquitur Corduba*« et IV 40 »*atria Pisonum stabant cum stemmate toto Et docti Senecae ter numeranda domus*« non recte intelleguntur nisi hic de fratribus tribus Senecae rhetoris filiis, ille de M. Annaeo Seneca rhetore et L. Annaeo Seneca philosopho; illic cum loquatur poeta de iis, qui litteris inclarescentes Cordubae laudem intulerint, hic respicit eos, qui opibus florentes ipsius paupertatem angustiasque levaverint vel levare possint. *Domum ter numerandam* intellexit Scaliger in Scalig. p. 368 de Seneca patre et filio, Lipsius de tribus fratribus, Ramiresius pro valde memoranda dictam esse contendit et *domum Senecae* ad Pollam Lucani uxorem viduam domum Senecae possidentem retulit, quam sententiam praeceps secutus ingressusque est interpres Delphinicus; multo sanioris mentis Burmannus fuit in Anthol. Lat. III 155, 5, qui per domum ter numerandam Gallionem, L. Annaeum Senecam et Lucanum utpote litteris et fama claros significari putavit. Papinius Statius deinde gente Annaea ortos, qui litterarum laude insignes fuerint, non dicit nisi Senecam Gallionem Lucanum. In verbis eius quae sunt Silvv. II 7, 31 sqq.:

hoc plus quam Senecam dedisse mundo
aut dulcem generasse Gallionem

Senecas scribere prave voluere M. Antonius Delrio in vita Senecae p. XXXVII et LXVI, Nic. Faber in praef. Controv. Senecae ed. 1698 idemque videtur sensisse C. Barthius in iis, quae ad Statii locum adscripsit. Sic fit, ut qui Senecam tragicum Cordubensem primus nominarit, restet Apollinaris Sidonius in carmm. IX 231 sqq. p. 359 Sirm.:

Non quod Corduba praepotens alumnis
facundum ciet, hic putes legendum;
quorum unus colit hispidum Platona
incassumque suum monet Neronem:
orchestram quatit alter Euripidis,
pictum faecibus Aeschylon secutus,
aut plaustris solitum sonare Thespin,
qui post pulpita trita sub cothurno
ducebant olidae marem capellae. sqq.

Sidonium autem, quem in rebus ad litteras antiquas pertinentibus certum ducem sequi propter manifestos errores omnino non licet, in hac re credo errasse male, ut saepe ei accidit, intellectis quae habet Martialis I 61, *duosque Senecas unicumque Lucanum,* in quo loco explicando varie fluctuatum esse supra vidimus.

M. Annaeus Mela denique (sic enim scribitur in cod. Medic. Taciti et in codd. Senecae, *Mella* in ms. Guelf. Tac. A. XVI 17, *Melas* in codd. Hieronymi) a patre narratur fuisse majoris quam fratres ingenii omniumque bonarum artium capacissimi (Seneca praef. Controvv. II p. 146 ed. Gronov.), strenui et virilis animi (praef. Controvv. V p. 352 ibid.). Quae Vacca de eo tradit bene faciunt cum ipsius patris verbis et cum Tacito:

Tac. A. XVI 17.	Vacca.
— — petitione honorum abstinuerat per ambitionem praeposteram, ut eques Romanus consularibus potentia aequaretur; simul acquirendae pecuniae brevius iter credebat per procurationes administrandis principis negotiis.	— — equitem Romanum, illustrem inter suos, notum Romae et propter Senecam fratrem, clarum per omnes virtutes virum et propter studium vitae quietioris, quod sequens magis a turba recedebat, minus latebat.

Cum quibus compara haec Senecae patris, quae extant in praefatione Controversiarum II p. 145 Gron., *haec eo libentius, Mela fili carissime, refero quia video animum tuum a civilibus officiis abhorrentem et ab omni ambitu aversum* — — — — p. 148 *et paterno contentus ordine subduc fortunae magnam tui partem* sqq.

Procurator videtur fuisse ex eorum genere, qui inde ab Augusti aetate (Cass. Dio LIII 15. Tac. Agr. 4.) in provincias Caesareas quaestorum loco, in provincias senatorias autem pecuniis pro fisco faciundis mittebantur. Finem filio paululum superstitis facti narrat Tacitus A. XVI 17, *interfecto (Lucano) dum rem familiarem eius acriter requirit, accusatorem concivit Fabium Romanum ex intimis Lucani amicis. Mixta inter patrem filiumque coniurationis scientia fingitur assimulatis Lucani litteris, quas inspectas Nero ferri ad eum iussit, opibus eius inhians. At Mela, quae tum promptissima mortis via, exolvit venas scriptis codicillis, quibus grandem pecuniam in Tigellinum generumque eius Cossutianum Capitonem erogabat, quo cetera manerent. Additur codicillis tanquam de iniquitate exitii querens ita scripsisse: se quidem mori nullis supplicii causis: Rufium autem Crispinum et Anicium Cerialem vita frui infensos principi.* Hieronymi quae huc pertinent verba ad Euseb. chron. § 92. Ol. CCXI 4 s. CCXII 1

adlegata *L. Annaeus Melas — — bona Lucani filii sui a Nerone promeretur* leguntur eodem tenore in prologo illo Flori epitomarum, qui in codicibus quibusdam recentioribus est.

Uxorem Mela duxerat Aciliam (cod. Med. Tac. A, XV 56 *Atillam*), quae filio et marito superstes facta est Tac. A. XV 71. Vacca tradit fuisse et regionis eiusdem et urbis, Acilii Lucani filiam, oratoris operae apud proconsules frequentis et apud clarissimos viros: nonnullius ingenii: »adeoque, inquit, non improbandus, ut in scriptis aliquibus hodieque durat eius memoria«. Acilii fuere cognomine Aviolae Balbi Glabriones, plebeia gens a compluribus viris, qui inde originem duxerant, ad gloriam haud mediocrem inde a sexto urbis saeculo evecta (cf. Liv. XXXV 10). Cordubae et in agro Cordubensi habitasse Acilios testantur inscriptiones: L.ACILIO.FILIO.MO|DESTO.FFLIX.DIS. D.S.P. quae est Cordubae in basi statuae ap. Moralem, las andiguedades de la ciudades de España. 1575. 4. (fol. 118*b*, ap. Gruter. 596, 11. 2). D.M.S.|L.ACILIVS.L.F.GAL. BARBA. II.VIR. | V. ANN. LXIII. ACILIA. L. F. LEPIDI| NA. N. ME. VI | L. ACILIVS. L. F. GAL. TERENTIANVS. II. VIR. | V. ANN. LVII. CORNELIAE. Q. F. | LEPIDINAE. ANNOR. LX. VXORI. IN | DVLGENTISSIMAE. MARITVS. PIISSI | MVS. FLAMINICAE. M. S. D. D. FVNE | RVM. INPENSAS. LAVDATIONES. LOCA. | SEPVLTVRAE. STATVAS. D. | H. S. S. S. S. V. T. L. quem titulum in sepulcrali marmore Carpii, qui est locus Cordubae vicinus, inventum exhibet Moralis, coronica general de España. IX 10. T. IV p. 431 et ex Anton. Augustini schedis Grut. p. 743, 3. Alii tituli in agro Saguntino Monviedrino Compostellano inventi ap. Moralem

andiguedades fol. 29 *b*, fol. 77 *a*, Gruter 344, 7. 8; 734, 5 ad eandem gentis Aciliae familiam utrum pertineant an non, in ambiguo relinquendum est, quod idem cadit in monetas Aciliorum apud Riccium, monete delle famiglie antiche di Roma, 2. edit. 1843. p. 4—5. tav. 1. n. 50. 51. p. 243. n. 8. tav. 66. — Addo quos ab aliis omissos vidi in Aciliorum enumeratione: Acilium, qui consul fuit sub Domitiano, nominatum in scholiis Iuvenal. IV 94, et Acilium militem illum fortissimum (Suet. Caes. 78. Plutarch. Caes. c. 16 p. 715. Valer. Max. III 2 ubi falso est *Atilius*) quem maternae originis memor fortasse non inconsulto celebravit Lucanus in Pharsaliae libro III 604 sqq. Ex illa igitur Acilia, Acilii Lucani filia, natus est Lucanus Cordubae, ut Vacca refert, Caesare Augusto Germanico II, L. Apronio Caesiano coss. a. u. DCCXCII. Praenomen Marci a patre avoque, cognomen Lucani a matris patre accepit. Quod cognomen invenitur praeterea in gente Terentia plebeia: notissimus est P. Terentius Lucanus, patronus Terentii Afri comoediarum scriptoris; C. Terentii Lucani numos exhibet G. R. Riccius, le monete delle antiche famiglie di Roma tav. XLV nr. 4—7. p. 200. — Sine gentis descriptione apparet in Hispania Gallia Italia; Q. Lucanus, centurio primi pili in Gallia, nominatur a Caesare B. G. V 35; ad Lucanum quendam scripsit Martialis epigr. VIII 75; ad eundem I 36 et IX 38; Lucanus iunior quidam, qui aliquoties nominain excerptis grammaticis ap. Mai Auctt. class. T. V (1833) p. 77. 101. 103. 146, grammaticus videtur fuisse. In inscriptione Nemausi extante est IO. MEMORIAE. | LVCANI | PATRIS. | POMPEIANVS | FILIVS. Gruter. 732, 10; in agro Gaditano: SEX. ANNIVS. SEX. F. | GAL. LVCANVS. H. S. E. ap. Moralem, andiguedades fol. 62 *b*; Car-

tagenae: OCTAVIAE . M . F . | LVCANAE . DOMINAE | OPTIMAE . M . FVLVIVS GILO . SCRIBO | NIVS . FIDVS PROC . EIVS . L . D . D . D . ibidem fol. 79 *a*; Atinae: P . LATIN . LVCANVS ap. Mommsenium, inscriptt. regni Neapol. 243; Padulae: M. OVILONIVS L . F . | LVCANVS . l. c. 288; Saponarae: L . FABRICIO . LV | CANO . FILIO . B . M . FABRICIVS . LVCANVS | PATER . l. c. 342; Perettii: Q . VARIO . LVCANO . l. c. 5696; Romae: L . NEPOTIVS . LVCANVS . l. c. 6769. IV lin. 70; Aurelii: AVG . APOLLINIS | COSMIS . LVCAN | D . . . . . S . . . P . D . et AVG . APOLLINIS | COSMIS . LVCAN | FIL . . . D . . . S . P . D . apud Caylum, recueil d'antiquités etc. T. IV. tf. CXII. 1 et 2.

Codicis Wittiani, quem supra p. 5 significavi, titulus Oudendorpio teste fuit LVCANI VETERANI LIBER PRIMVS INCIPIT, cum qua inscriptione stant verba, quae sunt in Bedae arte grammatica p. 2368, 7. P. *et Lucanus poeta veteranus Caesaris et Pompeii praelia descripturus* sqq. Quae unde originem duxerit inscriptio, indagare non potui; fortasse ita expeditur res, ut *poetam veteranum,* quem Beda pro poeta vetere dixit, male intellectum in codicem transcriptum esse statuamus; quod si probabile est, addamus Lucanum veteranum, qui tertius sit in societate Propertii nautae ex depravata lectione elegg. III 24, 35 orti et Martialis coqui, quem item ex lectionis errore provenisse ostendit Schneidewinus in commentt. Marburg. 1840. nr. 44 p. 363 sqq.

Pergit Vacca: Sed in patria sua non valuit educari, fatorum credo decretis, ut id ingenium, quod orbem fama sui impleturum cresceret, in domina mundi aleretur urbe. Octavum enim mensem agens Romam tralatus est. Ac

ne dispar eventus in eo narraretur eius, qui in Hesiodo refertur, tum opinio tunc non dissimilis maneret, cunas infantis, quibus ferebatur, apes circumvolarunt osque insedere complures aut dulcem iam tum spiritum eius inhaurientes, aut facundum et qualem nunc existimamus futurum significantes.

Mense Iunio a. u. DCCXCIII Romam translatus esse putandus est Lucanus. Cuius rei alium praeter Vaccam auctorem non habemus. Historiolam ex ingenio et pro aetatis suae indole finxit magister, qui codicii Pithoeano scholae medic. Montepess. nr. 362. 4. saeculo nono exarato notam in fol. 141 ascripsit editam in »catalogue général des bibliothèques publiques des départements«. Paris 1848. p. 431 sqq.; hic enim: *Lucanus,* inquit, *fuit Cordubensis, Cordoba civitas est in Hispania, qua devicta a Nerone, duxit Lucanum et avunculum suum Senecam Romam, quem postea magistrum devenire honorem; ideo adpulit animum ad scribendum.* Ab hac re si discesseris, illa quam Vacca tradit fabula unica restat de Lucano vulgata, qui per medium aevam divino paene honore cumulatus quod in fabulas non abierit, mirum videtur ad Virgilium poetam respicienti, cuius effigies numis excusa numinis instar gestata est (Obss. miscell. crit. T. I p. 16 sqq.), cogitantique quam multa inde ex antiquitate per medium aevum de hoc fabulose narrata sint.

Ad Lucanum infantem pertinet locus, qui vulgo ad Senecae filium relatus est, dico eum, qui extat in consolationis ad Helviam capite 16, *respice ad nepotes* (ab liberis) *quoque Marcum blandissimum puerum, ad cuius conspectum nulla potest durare tristitia: nihil tam magnum, nihil tam recens in cuiusquam pectore fuit, quod*

non circumfusus ille permulceat. Cuius non lacrimas illius hilaritas supprimat? cuius non contractum sollicitudine animum illius argutiae solvant? quem non in iocos vocabit illa lascivia? quem non in se convertet et adducet infixum cogitationibus illa neminem satiatura garrulitas? In quam rem cum inciderimus, liceat hic proferre alium locum, qui ad Lucanum cum pertineat, item ad Senecae filium Marcum translatus est. In voto enim Senecae quod est in anthologia latina Burm. III 155. Meyer. 139:

Sic mihi sit frater maior minorque superstes
et de me doleat nil nisi morte mea:
sic illos vincam, sic vincar rursus amando,
mutuus inter nos sic bene certet amor.
sic dulci Marcus qui nunc sermone fritinnit,
facundo patruos provocet ore duos.

Marci nomen Lipsius (Elect. I c. 21. diss. de vita et scriptis L. A. S. c. 2) retulit ad L. Annaei Senecae filium, patruos M. Annaeum Novatum et M. Annaeum Melam esse ratus; in qua re falsus est idcirco, quia de facundiae laude agitur, qua Marcus illos sit superaturus; Annaeum Melam autem ad tales artes animum non applicuisse cum supra viderimus, non errabimus verba illa ad Lucanum referentes, qui L. Annaeum Senecam et M. Annaeum Novatum victurus sit eloquentia. In quam sententiam bene cadit codicis Vossiani lemma *de fratris filio parvulo.*

Pergit Vacca: praeceptoribus tunc eminentissimis est eruditus eosque intra breve temporis spatium ingenio adaequavit, una vero studentes superavit profectibus. Declamavit et graece et latine cum magna admiratione audientium.

In his grammaticis rhetoricisque studiis Remmium Palaemonem grammaticum et Virginium Flavum rhetorem praeceptores fuisse Pomponius Infortunatus et Petrus Crinitus perhibent ex coniectura verisimili quidem, sed minime certa; socios quos habuerit, item nescimus: nam qui ea tantum scire vult, quae sciri possunt, non fidem habebit Pomponio Saleium Bassum et Fabium Romanum ex coniectura inducenti. Fabius Romanus a Tacito ex intimis Lucani amicis fuisse dicitur A. XVI 17; studiorum socius puero fueritne, necne, sciri nequit. —

Ob quod puerili mutato in senatorium cultum, et in notitiam Caesaris Neronis facile pervenit. (Vacca).

Togam praetextam virili mutare anno quinto decimo vel sexto decimo aetatis filii Romanorum solebant plerumque liberalibus; quem morem si Lucano servatum volumus, mense Aprili a. u. DCCCVII vel DCCCVIII praetextam in senatoriam mutasse statuendus erit. Senatoriam enim una cum virili sumere edicto Octavianus (Sueton. Oct. 38, 2) senatorum filiis permiserat, quo celerius reipublicae adsuescerent. Melam vero dignitate senatoria fuisse cum supra viderimus, non opus habemus neque cum Webero ind. scholl. Marb. p. s. a. 1856. p. 18. Lucanum »honoris causa propter ingenii virtutes« laticlavium accepisse putare neque cum Nic. Antonio bibl. Hisp. vet. I p. 53 pro *puerili* quod est apud Vaccam scribere *virili*. Post illum annum DCCCVII demum tirocinium fori iniisse et scholis Cornuti, qui ex Buhieri in Scheelhorn. amoen. litt. X p. 1137 coniectura libertus fuit Annaeorum, interfuisse credo. Quibus in scholis cognovit Aulum Persium poetam, qui in vita a Suetonio

conscripta traditur sedecim annos natus per Annaeum Cornutum cognovisse Lucanum, aequaevum auditorem Cornuti. Persius natus pridie Non. Dec. a. u. DCCLXXXVII circa inde ab anno u. DCCCIIII Cornuti disciplina usus est, quo tempore Lucanum duodecim annorum puerum Cornuti auditorem fuisse minime crediderim, veri similius existimans aliquot annis post Cornuti scholas intrasse, cum philosophorum institutioni sese addicere ab anno sexto decimo aetatis adolescentibus Romanis in more esset. Utor hac occasione oblata ad paucis disserendum de ratione, quae Lucano cum Persio intercesserit. Locum obscurum varieque vexatum, qui est in vita Persii Suetoniana, *sed Lucanus adeo mirabatur scripta Flacci, ut vix retineret se illo recitante a clamore, quin illa esse vera poëmata diceret,* O. Iahnius in prolegomenis editionis Persii ita tractavit, ut quae dixit veri simillima sint, praesertim cum amico natu maiori lubentius cessise videatur Lucanus tempore, quo ipse Pharsaliam nondum sibi sumpserat. In ea autem, quam Iahnius excogitavit, admirationis causa dissentio; ob id enim pronum fuisse in Persii satiras admirando, quod Nero in iis notaretur, non credo Lucanum, qui tunc, cum Persius primam satiram recitaret, odia adversus Neronem nondum conceperit; ipsum dicendi genus potius tortum et difficile variaque refertum doctrina placuisse existimo. — Ad Lucani cum Persio amicitiam pertinet quoque id, quod Sicco Polentonus l. IIII de vitis scriptorum illustrium refert, *Cornuti auditor erat uterque* (Persius et Lucanus) *ac saepe ut iuvenes solent epistolis ac disputationibus concertabant. Extant quas vidi ac fortasse aliae quaedam utriusque amice et familiaritate (familiariter:* Weber.*)*

utrumque (utrimque: Weber.*) scriptae.* De qua re infra aptius quam hic dicetur. Redeo ad vitae narrationem Suetonio Vaccaque ducibus exequendam.

Suetonius:	Vacca:
— revocatus Athenis a Nerone cohortique amicorum additus atque etiam quaestura honoratus etc.	et in notitiam Caesaris Neronis facile pervenit et honore vixdum aetati debito dignus iudicatus est. gessit autem quaesturam, in qua cum collegis more tunc usitato munus gladiatorium edidit, secundo populi favore: sacerdotium etiam accepit auguratus.

Quae ex Cornuti institutione avide, ut tempora ferebant, hauserat Stoicorum praecepta Athenis videtur Lucanus percoluisse, quo et philosophiae et moris causa eum se contulisse ex Suetonii truncato loco suspicari licet. Quando Athenas adierit, quamque diu ibi fuerit, certo scire nequimus perinde ac rationes, quibus adductus Nero eum revocaverit. Si inde ab anno u. DCCCVIII Cornuti auditor fuit togamque sumpsit, anno u. DCCCX et DCCCXI Athenis fuisse non improbabile erit. Utrum a patre Caesaris procuratore, an a Seneca patruo, qui Neronis antea praeceptor postea magister officiorum fuit, traditus sit Caesari et commendatus, in ambiguo est; utrumque fieri potuit, cum odia Neronis in Senecam non orta sint ante annum DCCCXIII, quo tempore Lucanus Romam iam reverterat. Fieri quoque potuit, ut iuvenilibus carminum lusibus innotuerit Caesari, qui eum a. u. DCCCXIII cohorti amicorum collegioque poetarum addidit, »quos aliqua pangendi facultate necdum insigni praeditos contraxit, ne ludicrae tantum imperatoris artes notescerent« (Tac. A. XIV 16).

Quaesturam quasi honorum aditum sub Caesaribus anno aetatis vicesimo quarto quintove petere solitum erat inde a Maecenatis aetate, qui Augusto suaserat, ne quemquam quaestura fungi pateretur ante annum aetatis vicesimum quintum (Cass. Dio. LII 13) quae res usque ad Taciti aetatem perduravit v. Lips. Exc. D. ad Tac. A. III 29. Lucanus, qui ante tempus legitimum eam gessit, a. u. DCCCXIIII annos viginti duos natus quaestor videtur fuisse, a Nerone illa honoratus, cuius rei exempla etiam alia extant a Webero ind. scholl. Marb. p. s. a. 1856. p. 18 allata. Ceterum quod Dolabella rogante Claudius collegio quaestorum iniunxerat (Tac. A. XI 22, Suet. Claud. 24) munus gladiatorium edendi ne designatis quaestoribus necessitas esset, Neronis inpulsu arbitrio senatus a. u. DCCCVIII constitutum erat (Tac. A. XIII 5). Quod si Lucanus, qui re familiari amplissima pollebat, gladiatores edidit, non necessitati sed usui et consuetudini obtemperavit. — Verba *secundo populi favore* ad priora pertinere recte sensit Oudendorpius, quod tunc sacerdotia non a populo tribuerentur. Lucanum accepisse sacerdotium auguratus, unus auctor est Vacca; nam Pomponius egregie fallitur, qui firmasse Vaccam sibi visus est verbis Statii silvv. II 7, 20 sqq:

> vestra est ista dies; favete, Musae,
> dum qui vos geminas tulit per artes,
> et vinctae pedis et solutae,
> Romani colitur chori sacerdos.

in quibus verbis Musarum sacerdotem significantibus ne haereat quis, a Casaubono et Passeratio provisum est, qui de hoc loquendi usu disseruere; Barthii vero coniectura Advv. XIX 5 prolata *sacer dux* nec opus est nec apta.

Suetonius:

— non tamen permansit in gratia. Siquidem aegre ferens recitante se subito ac nulla nisi refrigerandi sui causa indicto senatu recessisse (Neronem), neque verbis adversus principem extantibus (*sic lege*) neque factis post haec temperavit, adeo ut quondam in latrinis publicis clariore cum strepitu ventris emisso hemistichium Neronis magna consessorum fuga pronuntiarit: »sub terris tonuisse putes«; sed et famoso carmine cum ipsum, tum potentissimos amicorum gravissime proscidit.

Vacca:

Et quidem hactenus tempora habuit secunda; quae sequuntur autem mutata invidia et odio Neronis ipsi exitium, domesticis luctum miserabilem attulerunt. Cum inter amicos enim Caesaris tam conspicuus fieret profectibus in poetica, frequenter offendebat: quippe et certamine pentaeterico acto in Pompeii theatro, laudibus recitatis in Neronem, fuerat coronatus, et ex tempore Orphea scriptum in experimentum adversum complures ediderat poetas et tres libros quales videmus. Quare inimicum sibi fecit imperatorem. Quo ambitiosa vanitate non hominum tantum, sed et artium sibi principatum vindicante, interdictum est ei poetica, interdictum est etiam causarum actionibus.

Lucanus post annum DCCCXIII, quo nomen in certamine Neroneo professus publice recitavit laudes Caesaris, recitationibus carminum et causarum actionibus inclaruerat. Inde Nerone famae Lucani invidente, hoc aegre ferente Neronis invidiam inimicitiae videntur conflatae; nam Lucani conviciis potissimum exacerbatum esse Caesarem non probabile est, quem Suetonius patientissime inimicorum obtrectationes et iurgia tolerasse scribat. Animi mutationem vix ante a. u. DCCCXVII ortam esse ostendit Pharsalia ipsa, de qua re infra accuratius quam hic dicetur. Nunc id tantum addiderim, fortasse ipsius Pharsaliae tres primos libros tunc editos famamque, quam consecuti fuerint, mo-

visse Neronis invidiam et aemulationem; ut forte ipsius Pharsaliae partem Lucanum recitantem reliquerit. — Coronam certamine pentaeterico a Lucano reportatam Neronis invidiae stimulum fuisse, magnopere diffido Vaccam recte referre: primum idcirco, quia Neronem Lucano cedere fecisse judices per se credibile non est malamque accipit fidem, ut alia taceantur, ex Martialis epigrammate XI 33:

Saepius ad palmam Prasinus post fata Neronis
pervenit et victor praemia plura refert.
I nunc, livor edax, dic te cessisse Neroni;
vicit nimirum non Nero, sed Prasinus.

Accedit quod talem rem mirum esset, si silentio praetermisissent Suetonius Statiusque, cuius non patiar versus 50 et 51:

et doctos equites et eloquente
cantu purpureum trahes Senatum

huc verti. In iisdem verbis minime opus est cum Marklandio legere pro *doctos claros* vel *celsos*, »quod equites ceteris non doctiores fuerint.« Recitationibus Lucano interdictum esse, quod Vacca tradit, confirmatur ab auctoribus Tacito A. XV 49 *famamque carminum eius* (Lucani) *premebat Nero prohibueratque ostentare vanus aemulatione* et Cassio Dione LXII 21 i. f. »*ὁ δὲ Λουκανὸς ἐκωλύθη ποιεῖν ἐπειδὴ ἰσχυρῶς ἐπὶ τῇ ποιήσει ἐπῃνεῖτο*«. Causarum actionibus item esse interdictum unus est qui referat Vacca, cuius solius quoque verbis edocemur, causas egisse Lucanum: in utraque re a veri similitudine non abhorret.

Eodem tempore, quo haec gesta sunt, i. e. a. u. DCCCXVII Lucanus uxorem duxit in matrimonium Pollam Argentariam.

Polla dicitur Martiali epigrr. VII 21, 2 VII 23, 3 X 64, 1, Statio silvv. II 7, 62 et 120; *Polla Argentaria* Statio in praefatione libri alterius silvarum et Apollinari Sidonio carm. XXIII 165 p. 403 Sirm. Argentariorum nomen comparet in inscriptionibus compluribus; *L. Argentarius Celsinus* et *L. Argentarius Valens* in titulo sepulcrali Castuli invento apud Moralem, las andiguedades etc. fol. 13*a*, Gruter. 858, 8; *Argentaria Optata* et *Argentarius Euhodus* et *Optatus* in titulo Romae in hortis Carpensibus extante ap. Gruter. 845, 2; *Argentaria Eutychia*, uxor T. Statilii Vol. Proculi, ibidem in ara marmorea ad ostium exterius horti pontificii ap. Gruter. 644, 2; *Argentaria*, L. Argentarii filia, in titulo Beneventano ap. Mommsen. I. R. N. nr. 1552. His inscriptionibus antiquior est *Argentarius* rhetor in Senecae suasoriarum et controversiarum libris saepe dictus, natione Graecus (controv. IIII 26, p. 318 Gronov.) ceteroquin ignotus homo; itaque nesciendum est, idemne sit an non cum *M. Argentario*, cuius in anthologia graeca triginta sex extant epigrammata, maximam partem ex amatorio genere atque ita comparata, ut temporis ne ullum quidem vestigium insit. cf. Iacobs. Anthol. Gr. T. XIII p. 860 sq. — Pollam Argentariam sanguine attigisse Argentarium rhetorem, ita ut neptis eius fuerit, iam Weberus ind. scholl. Marb. p. s. a. 1857 p. 14 suspicatus est non improbabiliter; idem eodem loco suo iure Martyni-Lagunae coniecturam refutavit, qui Pollam, Lucani uxorem, natam esse lubenter crediderat ex Polla et Pollio, quorum apud Statium in silvis non infrequens est mentio. Qua inepta coniectura remota non potuit Weberus l. c. p. 14, quin in eius locum aliam substitueret vix meliorem, »Pollam Argentariam fortasse genere pertinuisse ad familiam Vespasianam, natam ex fratre

Vespasiae Pollae, cuius Pollae socer coactiones argentarias factitasse dicatur. Suet. Vesp. 1.

Ad Lucani uxorem dedit Martialis epigrammata tria VII 21 (18) VII 23 X 64, Statius genethliacon Lucani silvarum libro alteri adiunctum; sed non pertinent ad eam epigrammata Martialis X 69 (61) X 91 (83) XI 89 (52), quae nuper cuidam ad eandem Pollam data fuisse visa sunt. Statius l. c. v. 83 sqq. dicit eam (Lucanum adlocutus):

doctam atque ingenio tuo decoram
qualem blanda Venus daretque Iuno,
forma simplicitate comitate
censu sanguine gratia decore.

Lucano mortuo iterum nupsisse et quidem poetae cuidam auctor est Apollinaris Sidonius Carmm. XXIII 165 p. 403 Sirm.:

quid quod duplicibus iugata taedis
Argentaria Polla dat poetas?

cui fidem, ut alias, etiam hic detraho. Etenim nec Martialis nec Statius in locis, si recte computantur tempora, plus quam viginti annis post Lucani mortem scriptis huius rei cogitationem movent, nedum mentionem faciunt, cum et laudis et invidiae gravis causa subfuisset. Quare Sidonium in eorum numero esse suspicor, qui Statio poetae nupsisse Argentariam excogitaverunt. Quam fabulam ex falsa lectione, quae est in praefatione silvv. II, *carissima* pro *clarissima* ortam per se ineptissimam esse, Statii ipsius verba docere poterant. Placuit tamen inde a Baptisto Pio ad Apollin. Sidon. Epp. II 10 ante hos trecentos annos primum prolata Sirmondio Savaroni nostrae etiam aetatis viris, postquam iam a C. Barthio Advv. CLX 4 et ad Stat. silvv. II praef. et in Forcellinii glossario s. v. *Polla* reiecta est.

Quamquam illa, qua usus est Barthius, ratio in refellenda fabula nulla est ratio; cum dicit libros quosdam in Sidonii verbis pro *Polla dat* habere *pallidat*, nihil agit nisi nugas; recta ratio in praefatione silvarum pravam esse lectionem, deinde in Apollinaris loco Statii ne mentionem quidem inici, Statium ipsum denique uxorem suam Claudiam nominare urgere debebat. — Polla liberos utrum genuerit an non, nescimus, item quando finierit. Iam revertor ad Lucanum ipsum et inimicitias, quas cum Nerone exercebat.

Suetonius:

— ad extremum paene signifer Pisonianae coniurationis extitit multus in gloria tyrannicidarum palam praedicanda ac plenus minarum usque eo intemperans, ut Caesaris caput * * * proximo cuique iactaretur.

Vacca:

— hoc factum Caesaris iuvenili aestimans animi calore speransque ultionem a coniuratis in caedem Neronis socius adsumptus est, sed parum fauste.

Coniurationis, quae postea a Gaio Pisone Calpurnio genere orto nomen tulit, primum auctorem primumque instinctum se nescire confessus est Tacitus A. XV 49. Anno u. DCCCXVI ipso Pisone iam duce conspiratio talis erat, ut L. Annaeus Seneca quasi Pisonis socius a Romano Hispone accusaretur (Tac. A. XIV 65); sequentibus annis mirum in modum aucta cum odio Neronis, tum favore in C. Pisonem senatoribus equitibus militibus feminis etiam certatim in eam nomina dantibus. Ex Taciti annalibus a. u. DCCCVIII participes primarios fuisse discimus Subrium Flavum Sulpicium Asprum Plautium Lateranum Tullium Senecionem Cervarium Proculum Vulcatium Araricium Iulium Tugurinum Munatium Gratum Antonium Natalem Marcium Festum equites Romanos, Gaium Silvanum et Statium

Proximum tribunos cohortium praetoriarum, Maximum Scaurum et Venetum Paulum centuriones, praecipue autem Flavium Scaevinum et Afranium Quinctianum utrumque senatorii ordinis et Fenium Rufum praefectum praetorio. Ex his alios metus, alios spes rerum novarum, alios reipublicae amor, alios ut Lucanum privata odia impulerant. De caedis perficiendi tempore et ratione multum ambigentibus rei bene gerendae occasio elapsa est (Tac. A. XV 50 et 51). Primum Volusius Proculus chiliarchus classiariorum Misenensium, quem Epicharis quaedam in Campania agens coniuratis adgregare studuerat, Neronem conspirari adversus eum certiorem fecit; deinde Scaevino incaute se coram servis gerente proditio ab eius liberto Milicho facta est. Scaevinus raptus per milites ad principem (Tac. A. XV 55) accusationem primo callide refutavit: ubi cum Antonio Natali compositus est, qui Pisonem Calpurnium Annaeumque Senecam nominaverat, pari imbecillitate ceteros edidit. Seneca, qui tunc ne Romae quidem versabatur, fortasse coniurationis particeps non fuit; Tacitus enim A. XV 56 tradit *Antoniūs Natalis eum adiecerat, sive internuntius inter eum Pisonemque fuit sive ut Neronis gratiam pararet, qui infensus Senecae omnes ad eum opprimendum artes conquirebat.* A Scaevino Lucanus quoque nominatus est.

Tacitus A. XV 56:

— Lucanus Quinctianusque et Senecio diu abnuere: post promissa impunitate corrupti, quo tarditatem excusarent, Lucanus Atillam (*scr.* Aciliam) matrem suam, Quinctianus — — — nominavere.

c. 57. cum ingenui et viri et equites Romani senatoresque in-

Suetonius:

Verum detecta coniuratione nequaquam parem animi constantiam praestitit: facile enim confessus et ad humillimas devolutus preces matrem quoque innoxiam inter socios nominavit sperans impietatem sibi apud parricidam principem profuturam.

tacti tormentis carissima suorum quisque pignorum proderent. non enim omittebant Lucanus quoque et Senecio et Quinctianus passim conscios edere magis magisque pavido Nerone, quanquam et multiplicatis excubiis semet saepsisset.

Vacca:

Sed parum fauste. Deceptus enim a Pisone et consularibus aliisque praetura functis illustribus viris, dum vindictam expetit, in mortem irruit.

Apparet quam infesto in Lucanum animo Suetonius vel is quem sequitur fuerit quantumque intersit inter eum et Tacitum utrumque matrem a Lucano esse nominatam narrantes. Nolo equidem poetam, quem tractandum mihi selegi, laudibus ut fere fit exornare: imo ut malum poetam, ita animo inconstantem fuisse et verbis quam factis fortiorem lubenter concedo; neque quae contemtui sunt simili ceterorum ignavia excusare volo, quibus melius erat exemplum sequi, quod Epicharis praeivit. Attamen, ut ut est, Tacito in hac re quam Suetonio fidem habere praestat; Vacca totam rem diserto silentio praetermisit. — Reliqui coniuratorum turbati et anxie trepidantes salutis occasionem perdiderunt. Piso abruptis bracchiorum venis finivit, cum iam manus a Nerone missa adveniret: usque eo pavidus, ut moribundus quem interfecturus fuerat Caesarem adulatione peteret. Post eum cecidit Plautius Lateranus Statii Proximi tribuni manu trucidatus; secutus est Annaeus Seneca, qui ex Campania redux aegrotans in villa ad quartum lapidem suburbano rure, postquam opus postumum emendavit, reliqua certis amicis tradidit (Cass. Dio. LXII 25), veneno hausto periit, cum senile corpus recisis venis sanguinem tarde emitteret: multa cum adstantibus locutus, quae suprema eius verba a scribis excepta et in vulgus edita Taciti aetate notissima erant (Tac. A. XV 63 et 67). Post Subrium Flavum (c. 67) Sulpicium Asprum

(c. 68) ceterosque centuriones Fenius Rufus multum lamentatus, deinde Vestinus Consul, Neroni antea amicus, tranquillo animo periit, abruptis a medico misso venis. Eadem mortis species — quae tunc promtissima leti via (Tac. A. XVI 17) — Lucani videtur fuisse: solebat enim Nero, ne quid morae interveniret, medicos admovere, »qui mori iussos cunctantes continuo curarent« (Suet. Nero c. 37).

Tacitus:

exin M. Annaei Lucani caedem imperat. is profluente sanguine ubi frigescere pedes manusque et paulatim ab extremis cedere spiritum, fervido adhuc et compote mentis pectore intellegit, recordatus carmen a se compositum, quo vulneratum militem per eiusmodi mortis imaginem obiisse tradiderat, versus ipsos retulit eaque illi suprema vox fuit.

Suetonius:

Impetrato autem mortis arbitrio libero codicillos ad patrem corrigendis quibusdam versibus suis exaravit: epulatusque largiter brachia ad secandas venas praebuit medico.

Vacca:

namque sua sponte coactus vita excedere venas sibi praecidit periitque prid. Kal. Majas Attico Vestino et Nerva Silano Coss. XXVI aetatis annum agens.

Subrio Flavo Sulpicio Aspro Fenio Rufo Attico Vestino interfectis reliquorum qui conspiraverant alii in exilium, alii in mortem compulsi, alii impunitate donati sunt. Acilia, mater Lucani, »sine absolutione, sine supplicio dissimulata est« (Tac. A. XV 71). Quod ad Lucanum, versus illos ex Pharsalia petitos fuisse verisimile est, in qua anxie quaesiti sunt; Pomponius Infortunatus in libro VIIII inde a v. 814 sqq., alii ut Lips. ad Tac. A. XV 70 in libro III inde a v. 638, C. Fr. Weberus denique in ind. scholl. Marb. p. s. h. 1857—1858, de suprema M. Annaei Lucani voce, in libro VII inde a versu 608 reperisse eos sibi visi sunt.

Res prorsus est incerta argumentisque evinci nequit; pro mea parte Webero assenticr.

Sepultum esse Lucanum in hortis suis Iuvenalis auctor est sat. VII 79: contentus fama iaceat Lucanus in hortis marmoreis:
ubi pro quinque codicum interpolatorum lectione *marmoreus* Gronov. Obss. III 13 et Burmann. ad Anthol. lat. II p. 66 *marmoreis* recte praetulerunt. Ex versibus silvv. II 7, 108 sqq.;

at tu seu rapidum poli per axem
Famae curribus arduis levatus,
qua surgunt animae potentiores,
terras despicis et sepulcra rides.

ad Lucani tenuem sepulturam alludere Statium mirimode C. Barthius putavit. Cuius modi inepta commenta Iuvenalis ille locus cum per se refutet, tum in alia quadam re momentum afferre videtur. Etenim ad id, quod ex nota illa inscriptione M . ANNAEO . LVCANO . CORDVBENSI . POETAE . BENEFICIO . NERONIS . CAESARIS . FAMA . SERVATA . colligitur, Neronem non tulisse edictum, quo poemata Lucani ex omnibus bibliothecis eximerentur, pertinere opinor verba Iuvenalis *contentus fama iaceat* sqq.; ad eandem rem pertinere putabam Taciti locum qui extat in dial. de oratt. c. 13 f. *nec plus habeam, quam quod possim cui velim relinquere quandocunque fatalis et meus dies veniet. statuarque tumulo non maestus et atrox, sed hilaris et coronatus: et pro memoria mei nec consulat quisquam nec roget;* sed M. Hauptio monente de sententia decessi. Cum enim Maternus in illa oratione beatae poetarum vitae opponat mala quibus oratores obnoxii sint et tangantur, clarum est Lucani utpote poetae exemplum

indicare non posse. Quod si Iuvenalis verba fidem faciunt, tale quiddam edictum a Nerone latum esse, addere insuper licet, rationes, quibus moti O. Iahnius prolegg. ad Pers. p. XXXIII postque eum Osannus, commentt. de L. Annaei Senecae scriptis quibusdam deperditis spec. III. 1848. prgr. univ. Giss. p. 14 nr. 31 genuinam h. e. Neronis tempore incisam esse illam inscriptionem negarunt, intercidere. Mitto quod Osannus fortasse non satis perpensum dixit »verborum, quae iustum vix admittant sensum, rationem valde perplexam a stilo inscriptionum antiquarum prorsus abludere«: sed illud, quod obicit, gentilicia per unam litteram exprimi et E pro AE scribi tunc valde rarum fuisse, nec obici nec confutari potest, quia de scriptura non constat. Rolandus de Plagola, qui a. 1403, dum Romae esset legatus pro civitate Paduana, a se in via Ostiensi repertam narrat, eam codici Senecae philosophi Vaticano *a* 1789 membr. fol. inseruit hunc in modum, si Fickerto Senec. opp. I p. XXIV fides: M . A . | LVCANO . CORDVBENSI | POETE . BENEFICIO . | NERONIS . CAESARIS . | FAMA . SERVATA; Moralis, coronica etc. p. 434 ed. 1574 sic exhibet: MARCO . ANNEO . LV | CANO . CORDVBENSI . | POETAE . BENEFICIO . | NERONIS . FAMA . CON | SERVATA; Gruterus autem p. 352, 2 ex Morali excriptam varie mutavit: M . ANNAEO | LVCANO | CORDVBENSI | POETAE | BENEFICIO | NERONIS | FAMA | CONSERVATA. De scriptura igitur nunc quidem iudicari non licet, donec aliquis ipsam inspexerit, quae Romae in D. Pauli templo marmorea extare traditur a Sulpicio Verulano in ed. Lucani Veneta 1493 fol. 3 *b* (*M. Anneo Lucano Cordubensi poetae beneficio Neronis Caesaris fama servata*). Ab eiusmodi teste oculato donec certis argumentis

et rationibus demonstratum erit, inscriptionem esse suppositiciam, defendam ut genuinam; tum autem, cum hoc evenerit, scripturae diffisus rem nihilominus tueri pergam; quamquam bene scio, quantum Italorum Hispanorumque amor in patriam valuerit in inscriptionibus falsis ponendis. Restant ea, quae O. Iahnius praeterea addidit, argumenta refutanda. Atque primum quidem Taciti locus ab eo allatus A. XV 49 *quod famam carminum eius* (Lucani) *premebat Nero prohibueratque ostentare vana aemulatione* ad tempus, quo vixit adhuc Lucanus nondumque erat interfectus, pertinet; Suetonii vero verba in fine vitae extantia *poemata eius etiam praelegi memini* huc trahi omnino ita non possunt, ut ex iis plane aliud quid coniciatur. Postremo Cordubae inscriptionem illam repertam esse quod narrarint, Hispanis falso quantum scio Iahnius obiecit; Moralis certe coronica general etc. IV p. 434 expressis verbis addit *una piedra qui se halló en Roma,* ut Gruterus p. 352, 2 (Cordubae, e Morali aliisque) errorem admisisse videatur obiter inspecto Morali.

In plerisque Pharsaliae codicibus indeque in editiones veteres propagatum extat epitaphium Lucani ad modum Vergiliani compositum:

Corduba me genuit: rapuit Nero. Proelia dixi,
quae gessere pares hinc socer, inde gener.

Primus eius mentionem facit saeculo p. Chr. septimo Aldhelmus de re grammatica et metrica ap. Mai. scriptt. classic. ex codd. Vatic. edit. T. V (1833) p. 329 *Vergilium, quem epigramma illud »Mantua me genuit, Calabri rapuere. Tenet nunc« imminente metu mortis composuisse dicunt, Lucanus aemulans his verbis imitabatur dicens »Corduba me genuit, rapuit Nero, proelia dixi«.* Nos

etiamsi Lucani esse nimirum non credimus, tamen pro antiquo habemus neque intellego Osannum, qui prgr. Giss. 1848 p. 14 illos versus damnat »propter *rapuit Nero* obscuram et ineptam loquendi formam«, quae ad exemplum illius *Calabri rapuere* conformata offensionem non habet. Verba *quae gessere pares hinc socer, inde gener* Pharsaliam significant ex Lucano ipso petita; quae vix possum, quin in urbana abiisse dicam: adeo saepe recurrunt in scriptorum veterum operibus, ut ap. Martial. epigr. VIIII 70, 3 *cum gener atque socer diris concurreret armis;* eleg. de Maevio in Anthol. Lat. Burm. II 131, 11 *hic generum, socerum ille petit* (ex Scaligeri emendatione pro *socerumque*); Minuc. Felic. Oct. 3 *generi et soceri bella toto orbe diffusa sunt* e. h. s. Quod mirum non est, cum complura extent similem in modum ex poetarum operibus petita, quae in urbana recepta fuerint, et eiusmodi voces etiam ex rhetorum scholis in publicum evulgata sint. Versus, qui in codicibus adduntur illi disticho, subditicios esse ex epitaphii in Vergilium, ad cuius similitudinem Lucanianum conformatum est, per se concludi poterat. Antiquiores melioresque libri addunt hoc distichon:

continuo nunquam direxi carmina ductu,
 quae tractim serpant: plus mihi comma placet.

quamquam etiam in decimi saeculi codicibus, ut in Bruxellano nr. 5330 (cf. Reiffenberg. Ann. de l'acad. de Brux. T. IX p. 11), tertium reperiatur, quod addi solet:

fulminis in morem, quae sunt miranda, citentur:
 haec vere sapiet dictio, quae feriet.

In cuiusmodi rebus medium aevum valde sibi placuit indulsitque ingenio, ut otiosus quidam sive expositor sive

librarius, qui in codice Monacensi hos quatuor addidit versus (Spengelius, lectt. in Catull. spec. Monach. 1827. p. 15 sq.):

carmina si fuerint te iudice digna favore,
reddatur titulus purpureusque nitor;
sin minus, aestivas poteris convolvere sardas,
aut piper aut calvas hinc operere nuces.

Cui haud pauca subiungere possum similia; sed de veterum scriptorum epitaphiis disserendi hic non est locus. De altero quod in ed. Rom. 1469 est Lucani epitaphio *Baetis habet natale solum: est Annaea propago.* non attinet dicere, cum sit a Pomponio ipso compositum, qui Spanhemio teste (cod. Spanhem. 52. fol. 64 *a*) ipse in codicem Vaticanum 3285 transcripsit.

Lucani mores et ingenium descripturus summam eorum, quae adhuc disputata narratave sunt, cum Pharsaliae lectione coniunget. Fervidum animum alacritatem moresque Annaeorum totus servat; Stoicorum praecepta, quibus paene a puero imbuto Tiberii Claudii foedum imperium Neronisque libidinosa dominatio occasionem dedere, ut quasi perfugio quodam uteretur, gravitatem animique aequitatem in eo non effecere. Ingens cum gloriae amor eum torqueret et impelleret ad laudes undique colligendas, quibus Stoicorum disciplina averteretur rebus externis captus et irretitus sibi ipse non constat, modo audax et temerarius et pronus ad quamlibet rem suscipiendam, modo pavidus cum in periculum inciderit; natura tamen ipsa ingenioque ad honesta et magna erectus. Adulationi, quam graviter in eo complures scriptores animadverterunt, non magis videtur obnoxius, quam cum plerique aequalium, tum

haud exigua pars poetarum, in quibus tale crimen non est motum.

Imaginem eius non servavit aevum; habuit eam auro expressam Polla Argentaria teste Statio silvv. II 7, 128 sqq. *ac solatia vana subministrat Vultus* (mariti) *qui simili notatus auro Stratis praenitet incubatque somno Securae.* Quam enim exhibet picturam codex Buherianus schol. medic. Montepess. H. 113. s. IX — X (cf. Haenelius, catalogi sqq. p. 240. Catal. gén. des bibl. publ. des départ 1848. p. 114.) vultum poetae minus, quam librariorum morem ex antiquitate in medium aevum propagasse credo; nam ornare opera scriptorum imaginibus mos est Martialis aetate iam usitatus epigr. XIV 186 *Vergilius in membranis: Quam brevis inmensum cepit membrana Maronem! Ipsius vultus prima tabella gerit.* Idem atque de illa Lucani sentio de Vergilii imagine in cod. Vatic. 3867 expressa, quam Viscontius, Iconogr. romaine pl. XIII D exhibitam Constantini aetate antiquiorem esse censuit.

DE M. ANNAEI LUCANI SCRIPTIS.

De Lucani scriptis disserturus non omnia persequar, quae ad scriptorem aliquem illustrandum necessaria sunt. Etenim in tali re et aetatis universae et litterarum condicionem qualis fuerit spectare opus est, ut cuiusque scriptoris opera ex more et ingenio temporum iudicentur simulque appareat, novisne incrementis litteras auxerit an non. Has res necessarias ei, qui rem omnibus numeris est absoluturus, ab huius scriptionis instituto procul habeo, cum non tam historiae latinarum partem aliquam conscribere, quam fundamentum, quo superstructa scribatur, ponere cupiam. Cum enim in Lucano haud pauca cernerem aut incerta pro certis poni aut pro veris haberi errore orta, rem universam denuo ad quaestionem ac rationem revocare ut necessarium ita operae pretium fore arbitrabar. Egere de Lucani scriptis Barthius ad Statii silvv. II 7, ad Theb. VI 322, Advv. XXIII c. 3, Wernsdorfius, Poett. latt. minorr. T. IV p. 587 sqq., C. Fr. Weberus, vitae Lucani collectae P. I. II. indd. scholl. Marburg. p. s. a. 1856 et 1857, Rob. Ungerus, de Lucani Heliacis, in libello gratulatorio gymnasii Friedlandensis d. XXX Sept. 1858. 4°.

In re proposita duo sunt sequendi auctores, unus Statius, qui in genethliaco temporum ordinem secutus opera Lucani primis quasi lineamentis adumbravit, alter Vacca,

qui in vitae fine titulos posuit operum tunc temporis extantium. Atque universam quaestionem ut recte instituamus, primo loco Statium cum Vacca componere, deinde de reliquis deperditis Lucani scriptis quaerere visum est, quo facto ad Pharsaliam ducetur disputatio.

I. Primum opusculum describit Statius silvv. II 7. 54 sqq.

ac primum teneris adhuc in annis
ludes Hectora Thessalosque currus
et supplex Priami potentis aurum:

in quorum versuum tertio Barthius voluit scribere *petentis*, neminem credo habiturus qui adsentiat, cum *potentis* bene se habeat, ut *dives* in Horatii Carmm. I 11, 14 *Ilio dives Priamus relicto: petentis* autem cum *supplex* coniunctum langueat. Statii verba, si recte intelleguntur, significant Hectorem mortuum circa Troiae moenia ab Achille raptum et Priami patris precibus ac donis redemptum: vix igitur nec plus nec minus quicquam, quam quae in Iliadis libris XXII XXIII XXIV narrantur. Carmen, quod res his Iliadis libris narratas complecteretur, inscriptum fuit *Iliacon,* quem titulum tradunt Vacca, in cuius verbis editionum veterum lectio *illa consaturnalia* a Scriverio bene mutata est in *iliacon saturnalia,* et scholiasta Statii ad Theb. III 641. p. 151 et VI 322. p. 276 ed. Cruc.

Qua de re non accurate egerunt C. Barthius G. I. Vossius Wernsdorfius Bipontini, qui *Hectoris lytra* primum Lucani carmen fuisse dixerunt, titulum petentes ex Statii versu 56 et Iliadis libro ultimo; neque ex re magis quam ex ingenio Barthius ad Stat. silvv. II 7, 55 et Advv. XXIII 3. duxit coniecturam, »Iliacon librorum seriem trium fuisse, primum quidem de victo Hectore, alterum de eius lytris, tertium de Inferis et haec opera iuncta Iliacon titulo scripta.«

Idem placuit Ungero, qui l. c. v. 57 »Hectorem sepultum et a Mercurio ad inferos deductum significari« putavit, rem planissimam esse ei ratus, qui lusum illum a nostrate poeta de Murneri fatis conscriptum satis noverit ac perlegerit (!) Ad cuiusmodi rem nihil profecto est, quod cogitationem adducat. Inferorum descriptione ad Orpheum relegata Wernsdorfius P. L. M. IV p. 590 »haud aegre sibi persuasit, Hectoris lytra sub Iliacon titulo cum aliis coniuncti argumenti carminibus a Lucano scriptum aut prorsus idem carmen esse, quod Lactantius Iliacon nominet. Qui liber extrema Troiae complexus esse videatur et post victum occisumque Hectorem, in quo ipsam Troiam cecidisse vulgaris omnium opinio esset, deploratum a poeta fatum Priami et Troiani imperii esse morte Hectoris in ultimam calamitatem adducti«.

Restat disputatione removenda opinio orta ex lectione depravata, quae erat in vitae Vaccae; legebatur enim ibi *iliacon saturnalia catacausmon,* quae verba, si recte vidi, iam Pomponius a. 1469 in editione Pharsaliae Romana ita coniunxit, ut *iliacon catacausmon* incendium Troianum cum Priami calamitate significare arbitraretur: postea nescio eius sententia nota an ignota Scaliger Catall. p. 279. easdem voces coniungens excidium Troiae cecinisse Lucanum existimavit. Cui opinioni multis probatae recte in universum repugnavit Wernsdorfius l. c. p. 588, quamquam in singulis minus accuratus; nuper Ungerus l. c. p. 1 et 15 primus recte obiecit Statium, qui silvv. II 7. 48 haec habeat:

Nocturnas alii Phrygum ruinas
et tardi reducis vias Ulixi
et puppem temerariam Minervae,
trita vatibus orbita, sequantur.

De depravata illa voce *catacausmon* infra videbimus, quid sit statuendum. Nunc ne ordinem rei natura praescriptum relinquamus, mea fide affirmo, quod infra exponetur, non necessarium esse nedum probabile illas voces coniungi; item ex iis, quae infra dicentur, apparebit perversam esse Barthii sententiam ad Theb. VI 322 prolatam, »Iliacon opusculum fuisse, quo Ilii conflagrationem cecinerit in invidiam nimirum Neronis, cum is urbem incenderit et flagrante ea saltaverit cecineritque Troiae halosin: id indicare Statium in versibus: *Dices culminibus Remi vagantes Infandos domini nocentis ignes.*«

In qua tota disputatione Ungerum adeo non habeo adsentientem ut, ne totus ab eo evertar, cavendum sit; is enim l. c. p. 1—14 demonstrare adgressus est, Lucanum Hectoris lytra quidem, non autem *Iliaca,* sed *Heliaca* scripsisse, »quibus reapse intellegatur habuisse explicatum quidquid poeticarum de Sole deo extaret fabularum. Quocum praeclare congruere, quod omnium, quos ex illo carmine decerptos esse aut certis testimoniis constet aut probabili colligatur coniectura, versuum argumenta illis fabulis fuerint quam adiunctissima. Hanc autem materiam a Lucano tractatam fuisse etiam ea re verisimile fieri, quod Astronomicorum curam illi mirifice placuisse ipsa Pharsalia tam perspicuo sit signo, ut et alii et Nic. Clamengius (!) Epist. V ap. Barth. Advv. LIII 6 p. 2490 et Ger. Voss. de histor. latt. p. 140 Cordubensem poetam astrorum doctissimum praedicaret. cf. Palmeri (!) pro Lucano apolog. p. 915.« Ad quam coniecturam Ungerus argumentandi ratione delatus est, quam per ambages ductam si in brevia enunciata pressero, falsam esse clare apparebit. Lucanum, inquit, Hectoris lytra scripsisse Statii testimonio constat;

Iliaca haec appellari non potuisse reapse patet; Iliaca autem ab Lucano scripta esse Statius omnino negat; itaque, cum praesertim ii versus, quos ex illis tamquam Iliacis petitos attulit Lactantius, nihil habeant, quod ad Troianorum temporum memoriam aliquo modo pertinere videatur, prave et perperam a librariis illud *Iliacon* vocabulum exaratum est. Ex cuius depravata scriptura *Illiacon Hilliacon* quam expeditissime proficitur ad hanc emendationem *Heliacon.*

Ex quibus argumentis nullum stat. Primum enim, ut ut ab ultimo ad initium regrediens incipiam, *Heliacon* depravatione mutari potuisse in *Iliacon* etsi concedo, tamen tenendum est, optimum librum Monacensem 4610, qui quam bene genuinam scripturam servarit, infra quoque demonstrabitur, habere in vita Lucani a Vacca composita *utilia saturnalia,* quod idem est in Wallersteinensi, Bernensem nr. 370 autem *Iliacon saturnalia;* a quo prope abest, quod ex Monacensi codice scholl. Theb. III 641 attulit Ungerus: *Illiacon* (ut Pharsal. X 61 *Illiacas* in quatuor Vratislav. codd., Propert. II 1, 14 *Illiadas* ap. Puccium, Martialis XII 52, 11 *Illiacon*) et ex altero Krabing. nr. 69 *Hilliacon.*

Deinde vero ex quatuor dimiatoque versibus, qui ex medio carmine ad grammaticam artem vel ad mythologiam illustrandam petiti sunt, totius carminis argumentum conficere qui adgredietur, inconsultus erit. Is ex Vergilii versibus Ge. IIII 93 *ille horridus alter Desidia latamque trahens inglorius alvum* 197 *quod nec concubitu indulgent nec corpora segnes in Venerem solvunt* 219 *his quidam signis atque haec exempla secuti* concludet, Vergilium mores aequalium carmine perstrinxisse: et Manilium ex versibus I 93 *sollicitare umbras imumque Acheronta*

movere 325 (Orpheus) *manesque per ipsos Fecit iter domuitque infernas carmine leges* II 794 *unde fugit mundus praecepsque in tartara tendit* III 348 *trahunt connexo tempore noctes* Orphei descensum ad inferos cecinisse faciet et Silium ex (Punicorum) IIII 97 *arma, viri, rapite arma, viri,* V 457 *nec minor interea — fremebat Diversis Mavors variaque per ardua pugna Et tecta et domus rorantes caede nitebant* (ita enim ab eo emendabitur pro *et saxa et dumi*) III 565 *quo Troiae extremos cineres sacramque ruinam Assaracique larem — feramus?* Ilii expugnationem cecinisse et Beniaminum Schmolkium ex versibus, qui sunt in cantico sacro, *Hab' ich keinen Heller, weder Brot noch Teller, weder Dach noch Fach: reissen meine Kleider* sqq. — *ich will ruhen, trinken, speisen* cantilenas populares et in triviis cantatas et compotatorias fecisse. Sed iam longus fui in hac re: quamquam illis, contra quos haec dicta sunt, viris vix satis adversari aliquis poterit; ii enim sunt, qui

> quod quisque in animo habet aut habiturust sciunt:
> sciunt, quid in aurem rex reginae dixerit:
> sciunt, quod Iuno fabulatast cum Iove:
> quae neque sunt neque futura sunt, illi sciunt.

Accedo ad tertiam rationem, qua Ungerus Lucanum Iliaca scripsisse a Statio omnino negari conclusisse sibi visus est. Audi Statium l. c. II 7, 48 *Nocturnas alii Phrygum ruinas Et tarde* (sic scribe) *reducis vias Ulixi Et puppem temerariam Minervae, Trita vatibus orbita, sequantur. Tu carus Latio memorque gentis Carmen fortior exeres togatum. Ac primum teneris adhuc in annis Ludes Hectora Thessalosque currus Et supplex Priami*

potentis aurum. Priora eiusmodi opera spectant, quae poetis praecipue gloriam comparaverint ut Vergilio Aeneis, Statio Thebais, Silio Punica, Lucano Pharsalia; sequentia autem ad Lucani pueriles in arte poetica lusus referenda sunt. Itaque Statius erit auctor, Lucanum scripsisse Hectorem ab Achille circa Troiae moenia raptum et a Priamo redemptum, quae pars Iliacorum sunt; sed praecipuam ut consectetur gloriam, non scripsisse *nocturnas Phrygum ruinas,* quae item Iliacorum pars sunt. Quare qui Iliacon nomine inscribi non potuerit illud carmen, non intellegitur: nam Hectoris lytra tantum non scripsit Lucanus, sed ea, quae modo dixi.

Sic fit, ut Ungerus sine causa Heliacorum poetam Lucanum fecerit. Quod quam non bene excogitaverit, aliae quae accedunt rationes ostendent. Nam Statium Heliacorum mentionem non inicere, permirum videbitur ei, qui ab Ungero saec. sexto p. Chr. etiamtum extitisse edocebitur; cum ea referre Statio minutioris et arte poetica parum dignae curae fuisse solus Ungerus sciat. Quamquam vix dubitat Senecam in loco infra attingendo Heliaca *inclyti carminis* nomine ornantem facere. Idem Ungerus scit, Hectoris lytra prope uni Statio cognita iam intercidisse Suetonii tempore, qui scribat *prima Lucani ingenii experimenta fuisse Neronis laudes et Orpheum.* Mirifice prorsus! ergo et Heliaca quoque, qui saeculo sexto in Statii scholiis adferuntur, Suetonii tempore interciderant. (!) Quibus disputatis etsi concidit Ungeriana Heliacorum coniectura, tamen quas una cum ea protulit emendationes in carminis reliquiis reponendas restant refutationi. Etenim in primo loco, qui est scholiorum in Statii Theb. III 641 ad hos versus (Amphiaraus loquitur):

Vidi ingentis portenta ruinae,
vidi hominum divumque nefas hilaremque Megaeran
et Lachesin putri vacuantem saecula pensa:

vidi hominum] *manifestus iam metus* (*motus* Monac.) *est.* Divumque] *aut propter Venerem aut Iunonem, quarum altera Thebanis, altera timebat Argivis: aut omnium, quia Capaneus animos erat elaturus in coelum; ut Lucanus Iliacon: »atque Helenae timuisse deos«* in hoc loco, inquam, scripsit Ungerus *quare divum metus? aut propter Venerem ac Iunonem hoc posuit, quarum .... Argivis, ut Lucanus Heliacon: »atque Helenam timuere dei«* sive p. 7 *»atque Helena extimuisse deos«* sive *»adque Helenam timuisse deos.«* »Quae Helenae mentio, inquit Ungerus p. 5, tantum abest, ut ad Troianorum temporum memoriam revocari possit — nec enim quisquam dixit quando illud acciderit, ut omnes dii Helenae timerent aut, ut hoc addam, ipsa Helena Paridis iam coniux diis deabusque terrori esset — ut spectet ad rem ex interioribus litteris petitam reconditamque fabulam eam, quam ex ipsis, ut mihi persuasi, Lucani Heliacis potissimum sumptam et Statius attigit Theb. VII 791 *Non aliter caeco nocturni turbine Cori Scit peritura ratis, cum iam damnata sororis Igne Therapnaei fugerunt carbasa fratres* et his enarravit Lactantius: *quia nautae cum stellam Helenae viderint, quae Urania dicitur, cuius tanta est vis incendii, ut malum cavet et navis ima pertundat, ut etiamsi aes sit, hoc calore solvatur; ergo si haec stella navi insederit, sciunt se nautae sine dubio perituros.«* In iis quae p. 6 et 7 addidit de Helenae stella, nihil efficitur nisi Helenae astrum nautas timuisse: quod si deos quoque expavisse ex veterum superstitionibus docuisset, ita Lucanum

scribere potuisse concederemus, ut qui ineptae et semicoctae doctrinae plenissimus fuerit, nunc autem negare debemus; nam verba *Helenae timuisse deos* nil habent offensionis quamvis ad ipsa Troica revocata.

Alterum locum Statii scholiasta, quem Lactantium Placidum nominare consuevimus, ad Theb. VI 322. p. 276 adlegatum ita exhibet *Lucanus de Phaethonte in libro qui inscribitur Iliacon:*

> haud aliter raptum transverso limite caeli
> flammati Phaethonta poli videre deique,
> cum vice mutata totis in montibus ardens
> terra dedit caelo ** naturaque versa.

v. 1 *limite anheli* Scaliger. v. 2 *flammatum* idem. v. 3 *cum montibus* Barthius. v. 4 *caelo lucem:* cod. Monac. Krabing. 69 Lindenbr.; *solem* Oudend. *erebo caelum* Barth. *versa est:* Lindenbr. et Barthius.

Quibus versibus similem locum Pharsal. II 410 *cumque diem pronum transverso limite ducens Succendit Phaethon flagrantibus aethera loris, gurgitibus raptis penitus tellure perusta.* Ungerus cum mente teneret l. c. p. 8 scribere iubet in tertio versu *tostis iam fontibus ardens.* Prorsus temere: nam nil est mutandum praeter ea, quae supra indicata sunt.

His duobus Iliacon fragmentis, quae adhuc Lucani nomine innotuerant, ex coniectura Ungerus alia addidit. Seneca Q. N. VI 2, 7 *Quid habèo, quod querar, si rerum natura non vult me iacere ignobili leto? si mihi inicit sui partem? Egregie Vagellius meus in illo inclyto carmine si cadendum est, inquit, mihi, e caelo cecidisse velim.* Hunc ut locum Lucano vindicaret, ex *Vagellius* sive quod est in aliis *Agellius Nagellius* fecit Ungerus

v⁰· agne' luc' = vero Annaeus Lucanus in illo Heliacon carmine s. in Heliacon inclyto carmine,« non tamen serio Lucanum premens, cum alia quoque proponat ut fere sunt *vero agnatus meus gentilis meus Acilius meus Varro Atacinus,* quibus alius alia meliora absurdiorave facili negotio addiderit. Verba ipsa ad hunc modum non improbabiliter restituta:

(mihi) sive cadendum est,
E caelo cecidisse velim

a Phaethonte dicta putavit ante impetratum a patre currum (cf. l. c. p. 12). Atque Phaethontem illa verba non male decent. Sed apage tales emendandi conatus, qui certa ratione carent quique sibi ipsi non constant; nam carmen a Statio omissum, »quod referre id minutioris et arte poetica parum dignae curae esset,« a Seneca Ungerus facit appellari *inclytum carmen.*

Deinde inclinat p. 13, ut ex Heliacis petita arbitretur verba quae sunt in Consentii arte de barbar. et metapl. XVI p. 31 *Horatius ait »feraeque suëtae« et Lucanus ait »dixisse Phoëbos«:* quorum verborum, quae in Pharsalia non leguntur, insolentiam si tuenda est, recte tuitus est Ungerus. Eadem temeritate, qua haec ad Heliaca revocavit, adgressus est ea, quae leguntur in grammatici incerti de generibus nominum tractato 76. p. 32 *crystallum, gen. neutr., ut Ovidius »currus crystallo lucidus alba,«* ubi Hauptius recte censuit legendum esse aut *sed* pro *ut,* aut *albo* pro *alba.* Verba apud Ovidium hodie non extant neque eius omnino visa sunt, quod metrum non sit elegiacum, quo solo usus videatur Ovidius. Quod ego non video: nam praeterquam quod numeri recte elegici procedunt, tenendum est animo et cogitatione, quantopere in

eiusmodi grammaticorum scriptis verba turbari, versus truncari in breviusque contrahi soleant. Ungerus in Ovidii locum sufficere ingressus est Lucanum, »non quo miram in illo libro nominum scriptorumque confusionem hic quoque arguat, sed quia ipsam notarum litterarumque similitudinem gignendo illi errori opportunissimam fuisse appareat; nam quod antiquitus hic exaratum videatur fuisse *liv*, id in *ovidii* nomen facillime abisse certis compertum se habere exemplis: a qua nota parum differre *luc.* Quae qui probabilia esse concesserit, verba illa *currus crystallo lucidus albo* a Lucano adsensurum posita fuisse de Solis curru, quem alii aureum fuisse tradiderint.« (!)

In qua re non habebit Ungerus adsentientem, quicunque desiderarit, quod est maximum, Lucanum Solis currum crystallinum dixisse; quod si ita esset, haberet U. fundamentum, quo ingressus certam quadamtenus coniecturam faceret; nunc umbras venari et imagines videtur.

Postremo loco invenit Lucani Heliacon librum in Hygini poet. astronom. II 12 ubi haec sunt *Fertur etiam* (Perseus) *a Vulcano falcem accepisse ex adamante factam, qua Medusam Gorgonem interfecit, quod factum nemo conscripsit.* In quo loco cogitavit U. de restituendo pro *nemo mo con illo con heliacon auctor heliacon,* mox ab hac coniectura deflexus ad *Polemo* postremo eo pervenit, »ut insigni librariorum levitate ac fraude subtractam putaret Pharsaliae mentionem; ut appareat, illa verba *quod factum nemo conscripsit* antiquitus sic consignata fuisse: *quod factū luc̄ in nono conscripsit.* In qua re parum referre, quod ab Vulcano falcem accepisse Perseum Hyginus tradat, a Minerva Lucanus.« Haec commenta, ubi lecta

erunt, repudiabuntur; itaque satis habui verba integra posuisse, quod idcirco quoque factum est, quia Ungeri libellus nondum innotuit hic terrarum et difficulter erit comparandus.

Restat ut paucis de Weberi sententia in ind. scholl. Marb. p. s. a. 1857 p. 8 n. 48 prolata absolvamus. Hic enim coniecit »Lucanum causa Iliensium a Nerone suscepta commotum esse, ut Troiam carmine celebraret; quae causa cum a. u. DCCCVI suscepta sit, Lucani Iliaca eodem anno scripta esse«. Quod ad tempus facile Webero adsentior Iliaca ad a. DCCCVI vel DCCCVII pertinere ratus; sed cum Iliensium causa cohaerere facilius mihi persuaderem, si Statius carminis argumentum non indicasset; nam Nero Aeneam Troia Romam demissum et Iuliae stirpis auctorem esse exposuit cf. Tac. A. XII 58. Neque vero ipsum Lucanianum carmen causam aliquam egregiam, qua sit oriundum, sibi postulat, Troicis tunc Romae tritissimis, cum inde a puero disceretur *iratus quantum Grais nocuisset Achilles.*

II. Lucani Iliacon carmen ad sextum igitur p. Chr. saeculum durasse ex Vaccae et Lactantii locis conficitur; quae res in libello a puero conscripto mira videri potest. Sed simile quid cum in Martialis puerilibus lusis factum scimus (cf. epigr. I 113), tum accidit in altero Lucani opere quod Statius indicavit l. c. v. 57

et sedes reserabis inferorum:

quem versum cum v. 59 coniungere ii voluerunt, qui obscura reddere quam explicare Statii verba videntur maluisse; fuit inferorum descriptio, quae fortasse sicut Iliaca ex Homerica lectione fluxit. Circumspicientibus catalogi operum a Vacca exhibiti quisnam titulus huc pertineat, ultro

se offert illa depravata vox *catacausmon,* quam supra commemoravi. In qua re, cum sciamus optimum librum Monacensem 4610, olim Benedictoburanum, s. XI habere *ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΝ* (unde hic erroris ordo: *cataxcomon catasconion catascomon catacosmon catacausmon*), brevibus esse liceret, ni ex iis, quae olim invectae sunt, coniecturis cogitationes de Lucani operibus ortae et ad hunc usque diem propagatae sint. Etenim Vossius vocem, quam in suo codice reperit, in *catalogon* mutavit »scil. heroidum instar Hesiodi«, cuiusmodi catalogum post illum Lucano tribuere perperam Fabricius Bipontini Baehrius in Paulyi encycl. real. s. v. Lucanus, T. IV p. 1154, ante eum O. Iahnius in prolegg. Persii p. XXXIV. Barthius praeter ea, quae supra iam dixi, alia quoque tentavit ut *κατασκόπιον,* quo titulo ingeniosus et satiricus aliquis liber inscriptus fuerit (Advv. XXIII 3) vel *καταστόμιον,* quod ad supplicationem Priami pertinuerit cf. ad Theb. VI 322. Bipontini praeter catalogum heroidum alterum quoque opus *catacausmos Iliacus* inscriptum exhibent, quod ex eadem corruptela originem duxit. Wernsdorfius P. L. M. IV p. 589 carmine *καταγύναιον* vel *καταγυναίων* inscripto fabulas poetarum de amoribus deorum et heroum quorundam mulierosorum celebrioribus comprehensas easdemque esse salticas fabulas suspicatus est, quas auctor vitae Lucani inter scripta eius referat: inepte Weicherto, de Cassio Parmensi p. 296, adsentiente, qui tamen. ut ipse quoque aliud quid tentaret, cogitavit de *καταγωνίῳ* quasi a *καταγωνίζεσθαι* ducto. Quam coniecturam haud dubie excitavit lectio *catagonio* in scholiis in Statii Theb. VIIII 424 p. 410 ed. Cruc. 1618 extans comparata cum duobus, qui illic de Alcmene referuntur, versibus Lucani:

Thebais Alcmene, qua dum frueretur Olympi
rector Luciferum ter iusserat Hesperon esse.

Ex quibus versibus qui tale quid extricare vult, iis accensebitur quos supra p. 40 sq. dixi. Atque ex ipsa illa voce *catagonio* rectissime iam coniecerat Marklandus ad Stat. Silvv. II 7, 57 *catachthonion*, quod codicis optimi scriptura firmatum nunc argumentis muniendum est. Nam Marklandus quod bene invenerat ipse perdidit *catachthonion* cum *Orpheus* coniungendo, titulum poematii, in quo de Orphei descensu ad inferos egerit Lucanus, fuisse ratus *καταχθόνιος* seu plenius *Orpheus Catachthonius*, nisi quis malit eodem sensu *Catonius*, de quo adeundus sit Salmasius ad Spartian. Adrian p. 171, et hoc forte verius esse. Quam coniecturam nuper suo iure Ungerus l. c. p. 16 reiecit, quod incredibile sit, librum, qui inscriptus fuerit *Orpheus Catachthonius*, a Lactantio et a Vacca *catachthonii* tantum nomine appellari. Cui argumento alterum addo, *Catonium* sc. *letum* tantum dici, non autem *Catonium* per se pro *inferno*, neque illud sine Catonianae libertatis mentione aut sine ioco. Ungerus, qui Weberi libellorum usu caruit, cum codicis scripturam *καταχθονίων* non nosset, scribendum proposuit *καταγώγιον*, quo a Lucano narratus fuerit Iuppiter in hospitale cubiculum, mox in ipsum thalamum Alcmenae admissus. Fortasse hoc ipsum carmen innui a Statio silvv. II 7, 62 sq., siquidem *ἀσπασμός*, *πρόσρησις*, *προσηγορία*, *προσαγόρευσις* et *προσφθεγκτήρια καὶ ἀνακαλυπτήρια* proprie videantur convenire catagogio. Quamquam fortasse aliquis maluerit carmen illud *catagogion* inscriptum fuisse, ut dictum inveniamus Veneris et Cereris festum *καταγώγιον*. Haec missa facere cum liceat, converto me ad scripturam in Statii verbis traditam et

explicandam et defendendam. Etenim nil mutandum censeo, quam interpunctionem post *aurum* positam; sic locum distingue:

ac primum teneris adhuc in annis
ludes Hectora Thessalosque currus
ac supplex Priami potentis aurum:
et sedes reserabis inferorum.
Ingratus Nero dulcibus theatris,
et noster tibi proferetur Orpheus.

Pueriles enim lusus a sequentibus separat Statius; fefellit, opinor, adhuc *ac — ac*, *et — et* in initio versuum positum, qua re perductis placuit punctum ponere post *aurum*, et post *inferorum* virgulam tantum; sed illud *et — et* diversis sententiis est tribuendum, non sibi respondentibus. In quam sententiam quadamtenus, si recte vidi, Weberus quoque ingressus est ind. scholl. Marb. p. s. a. 1857 p. 8 n. 50. Idem ibid. p. 9 n. 56 catachthonion libros Lucanum a. u. DCCCVII composuisse suspicatus est, recto iudicio usus, sed in eo falsus, quod praefationis hemistichium a Suetonio servatum ad hoc Lucani opus pertinere censuit. De ipso catachthonion carmine nihil constat, cum praeter illos duos versus a Lactantio exhibitos nec verbum nec argumenti descriptio tradita sit.

III. Tertio loco Statius iterum duorum carminum argumenta duobus versibus indicata ponit, quae causa fuit, ut in loco constituendo varie dissenserint interpretes. Versus qui sunt:

Ingratus Nero dulcibus theatris,
et noster tibi proferetur Orpheus.

Barthius pro more suo explicat: »meus, inquit Calliope, filius Orpheus cum simul et a te et a Nerone cantabitur

in theatro tibi praeferetur i. e. in tuam gratiam;« Marklandus autem ut versum 57 cum versu 59 coniungeret, medium exulare olim iusserat, postea (Addenda p. 342) Gronovium diatr. in Stat. silvv. c. XXIX secutus ipse revocavit, quamquam *dulcibus* non adhuc nimis arrideret. Ungerus l. c. p. 18 scribendum proponit *Tum gratus Nero* sqq., ut intellegatur carmen in theatro cum insigni cuncti consessus plausu recitatum; licere quoque explicare illa verba *gratus dulcibus theatris* ut poeticae artis et recitationum studiosissimum. Equidem mutandum nihil habeo, sed simpliciter explicanda verba; ingratus dicitur Nero, quia poetam, a quo egregie laudatus fuerat, postea ad mortem compulit; theatra autem sunt dulcia poetae, quem plausu ornavere (cf. vers. 45 sqq.); carmen denique, quod significatur, sunt *laudes Neronis,* de quibus

Suetonius:	Vacca:
prima ingenii experimenta in Neronis laudibus dedit quinquennali certamine.	quippe et certamine pentaeterico acto in Pompei theatro laudibus recitatis in Neronem fuerat coronatus.

A. u. DCCCXIII Nerone IV et Cornelio Lentulo coss. certamen institutum est, de quo audiamus quae referunt Tacitus A. XIV 20 *Nerone quartum Cornelio coss. quinquennale ludicrum Romae institutum est ad morem Graeci certaminis, varia fama ut cuncta ferme nova.* — — — c. 21 *sane nullo insigni dehonestamento id spectaculum transiit. ac ne modica quidem studia plebis exarsere, quia redditi quanquam scenae pantomimi certaminibus sacris prohibebantur. eloquentiae primas nemo tulit, sed victorem esse Caesarem pronunciatum.* Suetonius Ner. c. 12 *Instituit et quinquennale certamen primus omnium Romae*

more Graeco triplex musicum gymnicum equestre, quod appellavit Neronia: dedicatisque thermis atque gymnasio senatui quoque et equiti oleum praebuit. Magistros toti certamini praeposuit consulares sorte sede praetorum; deinde in orchestram senatumque (? scribe *theatrumque*) *descendit: et orationis quidem carminisque latini coronam, de qua honestissimus quisque contenderat, ipsorum consensu concessam sibi recepit: citharae autem a iudicibus ad se delatam adoravit ferrique ad Augusti statuam iussit. Gymnico, quod in septis edebat, inter buthysiae apparatum barbam primam posuit conditamque in auream pyxidem et pretiosissimis margaritis adornatam in Capitolio consecravit.* Cassius Dio LXI c. 21 p. 1001 Reim. *ὑπὲρ δὲ δὴ τῆς σωτηρίας τῆς τε διαμονῆς τοῦ κράτους αὐτοῦ (οὕτω γάρ που προέγραψεν) ἀγῶνα πενταετηρικὸν κατεστήσατο Νερώνεια αὐτὸν ὀνομάσας· καὶ ἐπ' αὐτῷ καὶ τὸ γυμνάσιον ᾠκοδόμησεν κ. τ. λ. — — τὸν μέντοι στέφανον τὸν τῶν κιθαρῳδῶν ἀνικεὶ ἔλαβε πάντων ὡς καὶ ἀναξίων τῆς νίκης ἐκβληθέντων.* Tacito Suetonioque in hac re maior fides habenda est quam Cassio Dioni, quem omnino in publicis rebus accuratiorem quam in talibus existimo; erravit Dio quoque in eo, quod pro aeternitate imperii hoc certamen institutum dixit. Illud, de quo dicimus, certamen appellatur *Neronia* ut a Suetonio et Dione, ita in numis ap. F. Mediobarbum imp. rom. num. Mediol. 1683 p. 93, *Neroneus agon* a Suet. Ner. 21, *certamen Neroneum* a Suet. Vitell. 4, *quinquennale certamen* a Suet. in loco supra apposito, *quinquennale ludicrum* a Tac. A. XIV 20 XVI 2, *lustrale certamen* a Tac. A. XVI 4, *quinquennalia* in inscriptione Romae reperta ap. Grut. 116, 3, *certamen pentaetericum* ut a

Vacca ita in inscriptione ap. Gruter. 499, 6. Post Neronem a Fl. Domitiano revocatum (Suet. Domit. 4) aque Gordiano III auctum firmatumque (Aurel. Vict. Caes. 27) usque in Constantini aetatem perdurasse ex contorniatis ap. Eckhelium D. N. VIII p. 312 et ex gemmae Constantinopolitanae cuiusdam inscriptione ap. Caylum, Recueil d'antiquités etc. T. I tab. 86 conclusum est. Primo certaminis lustro a. u. DCCCXIII mens. Octobr., ut videtur, condito Lucanus in albo profitentium poetarum adscribi se fecit: recitavitque Statio Suetonio Vacca testibus laudes Neronis: cui rei simile quid in eodem certamine a. u. DCCCXVIII instaurato accidit, in quo *a narratoribus oratoribusque praecipua materia in laudem principis adsumpta est.* Tac. A. XVI 2. Carminis latini coronam a Lucano non esse reportatam, quod supra p. 23 iam indicavi, Taciti Suetonique verbis confirmatur. Atque laudum quidem Neronis nullae extant reliquiae; quae tamen res non movet, ut cum Martyni-Laguna ab ipso Lucano abolitas fuisse existimemus. Quae hunc ad talem adduxit opinionem causa in eo versatur, quod Vacca in catalogo librorum Lucani in vitae fine adiuncto illius carminis mentionem non iniciat. At tamen idem fit in Orpheo, qui Vaccae aetate adhuc extitit; resque facile expeditu est, quia Vacca quos libros in vitae enarratione commemoraverat, in catalogo addito iterum non nominavit.

IIII. Orpheo Lucanum illo certamine pentaeterico cum Neronis Nioba contendisse, quod etiam Lips. ad Tac. A. XIV 20 protulit, a Martyni-Laguna et Webero rectissime inter Pomponianas fabulas reiectum est; nam Nioben Nero post Lucanum mortuum a. u. DCCCXVIII recitavit, Orpheum autem Lucanus intra a. u. DCCCXV et DCCCXVI

videtur edidisse. Ac de vanis quorundam virorum commentis cum supra viderimus, hic tandem aliquando licebit expedite progredi, postquam illis addiderimus Domitium, qui ad Statii silvv. op. Ern. Cruc. Paris. 1618 p. 285: »Persii Milesii, ait, descensum ad inferos, qui libellus inscriptus est Orpheus: hunc imitatus Lucanus numeris latinis opusculum eadem inscriptione edidit et argumento«. In quibus mere hariolatur Domitius. — Carmen Lucani hexametris fuit scriptum: argumentum non a fabulis, quae de Orpheo ferebantur, omnibus colligendis, sed ab Eurydicis amore et descensu ad inferos, a quibus mortuam reduceret, canendis petisse poetam verisimile est ex iis, quae iam proferentur. Statius Silvv. II 7, 59 habet *et noster* (Calliope loquitur) *tibi proferetur Orpheus* i. e. dicetur: nam *praeferetur* cum per se ineptum est, tum non munitur explicationibus ut Weicherti, de Cassio Parm. p. 297 adn. 56, »noster Orpheus praeferetur poematis Neronis, quae populo ingrata sunt h. e. displicent;« *referetur* autem, quod coniectura inductum est, per metrum non stat, cum prima syllaba verbi *referre* nusquam producatur nisi in perfecto et tertia singularis praesentis. In scholiis, quae Servii nomine dicimus, in Verg. Ge. IIII 490: *quasi exultarent umbrae reditu Eurydices. Lucanus in Orpheo dicit factum strepitum redeunte Eurydice ob hoc quia*

gaudent a luce relictam
Eurydicen iterum sperantes Orphea manes.

ubi pro *relictam* male maluit Burmannus *reductam.* — Iam in libro francogallico, traditions tératologiques ou récits de l'antiquité et du moyen age — par Iules Berger de Xivrey. Paris 1837. 8°., quem per I. Zacherum ante hos tres annos cognovi, quemque ante me iamdudum Otto

in commentariis criticis in codd. mss. bibl. acad. Gissens. p. 103 sq. in eandem rem inquirens adhibuit, ex codice s. X Baronis de Rosaubone typis excusus est incerti scriptoris tractatus *de monstris ac belluis*. Quem librum saeculo sexto p. Chr. vergente scriptum in Guelferbytano quoque codice extare a M. Hauptio didici (v. Lud. Trossii ad Iul. Fleutelot epist. de codice, quo amplissimus continetur Phaedri paraphrastes, olim Wissenburgensi nunc Guelferbytano. Hamm. 1844). Atque in illius tractatus parte prima de monstris c. VII p. 20 haec sunt. *Et plurima cantica de eis poetae cecinerunt. Fauni, silvicolae homines, qui sicut a fando nuncupati sunt, a capite usque ad umbilicum hominis speciem habent: capita autem curvata naribus cornua dissimulant, et inferior pars duorum pedum et femorum in caprarum forma depingitur. Quos poeta Lucanus secundum opinionem Graecorum ad Orphei lyram cum innumerosis ferarum generibus cantu deductos cecinit.* Quem locum recte Bergerus p. 22 sq. ad Orpheum Lucani retulit, cuius notitiam ex Oudendorpii Pharsaliae editione perceperat, simul suspicatus Claudianum in epistola ad Serenam Lucani de Orpheo carmen imitatum esse. In eodem libro de monstris c. VII p. 24: *De Orpheo. Orpheus citharista erat Aeneae* (urbis) *et quintus* (non bene Bergerus *quantus*) *citharista in Graecia. Postmodum Eurydice uxor ipsius a serpente percussa mortua erat et paene insanus factus est, et in silvis lyram percutiebat et bestiae ad audiendum lyram ipsius veniebant.* De belluis cap. VII p. 238: *Pantheras autem quidam mites, quidam horribiles esse describunt, quas poeta Lucanus ad lyram Orphei cum ceteris animantibus et bestiis a deserto Thraciae per* (cod. *pro*) *carmen miserabile provocatas*

cecinit, dum ipse tristis esset et maerens ad undam Strymonis raptam Eurydicem (cod. *Eridicem*) *lacrimabili defleret carmine.* Quarum rerum nihil in Pharsalia exstat erravitque Bergerus, qui ad Phars. VI 180 pertinere opinatus est. Loci autem allati, etsi ut alios ex scholiis fluxisse constanter non negaverim, tamen ita sunt comparati ut ad certos Orphei Lucaniani locos spectare videantur, quem post id tempus etiamtum extitisse sequentia fidem faciunt. Vacca quidem de eo nil habet praeter haec: *et ex tempore Orphea scriptum in experimentum adversus complures ediderat poetas;* sed saeculo septimo p. Chr. Orpheum Lucani una cum Pharsalia in Britanniam translatum esse concluditur ex Aldhelmi, episcopi Schiriburiensis, loco de re gramm. et metr. ap. Mai, scriptt. class. e. codd. Vatt. editt. T. V p. 545: *Trochaicus: stamen, ut Lucanus de Orpheo:*

nunc plenas posuere colos et stamina Parcae
multaque delatis haeserunt saecula filis.

Etenim, cum qui antea in Britanniis fuerant scriptorum veterum exempla bellis turbulentisque temporibus fere ad unum omnia intercidissent, saeculo septimo ad scholas restaurandas instituendasve Theodori archiepiscopi Canterburiensis cura ex Italia et praecipue Roma exempla denuo advecta sunt cf. Beda H. E. IV 1, 2. In Germania denique Lucani Orpheum saeculo undecimo lectum esse videri, nuper Otto in commentariis criticis etc. p. 98 sqq. demonstrare studuit. Extat enim in Marburgensi Lipsiensi Bruxellano Elnonensi libris Hildeberti Cenomanensis episcopi *satyra de nummo,* quam Otto l. c. p. 163—198 edidit; in cuius carminis, quod ex c. 1190 versibus plerumque leoninis constat, prima parte v. 1—490 saeculi mores mali, in iis prae-

cipue avaritia et invidia, deplorantur; deinde v. 495—805 quantum virtus humana valeret, Orphei exemplo sic describitur, ut dum ad illius cantum audiendum tota fere natura convenisse narratur, integrum paene historiae animalium plantarumque ac siderum vocabularium exhibeatur; in extrema parte v. 806—1190 ad virtutis vitiorumque vim describendam revertitur carmen. Quod cum omnino multum sit in Lucanianae dictionis imitatione, tum haud dubie ad Orphei Lucani exemplum esse compositum Otto suspicatus est; quam sententiam ego quoque libenter ingressus postea a. M. Hauptio admonitus vidi minime esse probabilem. Primum enim illius satirae v. 997 sq. *sed quia sic iterum sperabant Orphea manes* non amplius antiquum carmen referunt quam per Servium licebat, quem Hildebertus haud dubie legit; v. 991 sq.

flectuntur Furiae mutantes fataque Parcae,
quae rupisse dolent fila legunt hilares.

autem nihil habent cum Lucanianis ab Aldhelmo allatis, quod Ottoni visum est; deinde antiqui carminis, quod Hildebertus in suum usum transformaverit, aperta vestigia non reperiuntur; neque rerum in carmine prolatarum ea pars, quae non ex Isidoro et Vincentio, communibus quasi doctrinae medii aevi thesauris, petita est, ad Lucanum videtur pertinere; postremo eorum, quae ex illo *de monstris ac belluis* tractatu in Lucaniano carmine infuisse cognoscimus, paene nihil in Hildeberti satira reperimus.

V. Pergit Statius v. 60 sq.

Dices culminibus Remi vagantes
infandos domini nocentis ignes,

cum quibus coniungenda sunt Vaccae verba *prosa oratione — de incendio urbis.* Prosa oratione Lucanum non ignobilem

fuisse cum ex Vaccae vita concluditur, tum auctor est Statius silvv. II 7, 21 *dum qui vos* (Musas) *geminas tulit per artes, et vinctae pedis et solutae, Romani colitur chori sacerdos*. ad quae Barthius mire, ut saepe, haec habet p. 249: »scribe *arces* i. e. per summa eloquentiae et poeseos, quod (Advv. XIX c. 5.) *artes* eloquentiam solutae et felicitatem ligatae orationis nemo ne medii aevi quidem latine dixerit.« Statii versibus 60 et 61 cum sequentibus perperam coniunctis Domitius ille in Statii silv. op. Ern. Crucei 1618 p. 389 Lucanum scripsisse opinatus est incendium urbis ad Pollam uxorem. Vaccae verba *de incendio urbis* antea pro glossa illius, quod supra diximus, catacausmon habita itaque eiecta suo iure revocavit C. F. Weberus, qui idem prosarium fuisse opus, non carmen, recte monuit. Barthius ad Theb. VI 322 cum referat Statii verba »ad Iliacon libros in invidiam Neronis conscriptos, cum is Urbem incenderit et flagrante eo saltaverit cecineritque Troiae halosin,« omnino non dignus est qui refellatur. Ceterum Statii locum addiderit, qui primus sit, reliquis quos congessit ille, qui in programmate gymn. Hermanstadensis 1856 p. 21—29 de incendio Romae anno DCCCXVII facto neglegenter scripsit. Lucani opusculum quale fuerit prorsus nescimus.

VI. Ad eundem annum DCCCXVII pertinet aliud, quod Statius his significat versibus opus,

vs. 62 Tu castae titulum decusque Pollae
iucunda dabis adlocutione:

de quo opere dicturi a Vacca relinquimur, qui nihil eiusmodi commemorat. Adlocutionum duo in usu Romanis erant genera, unum id, quod quale fuerit cognoscitur ex

Catull. 38, 5 *qua solatus es allocutione?* Senec. consol. ad Helviam. c. 3. *Novis verbis nec ex vulgari et quotidiana sumptis adlocutione opus erat homini ad consolandos suos* etc., alterum amatoriae scriptionis idque affine Graecorum *προςρήσει προςηγορίᾳ προςαγορεύσει* Poll. V 137 p. 549 et *προςφθεγκτηρίοις* III 36 cuiusmodi sunt parvula duo carmina in anthologia latina, quorum prius inscribitur *Adlocutio ad Sponsos* ap. Burm. II 258. Meyer I 259, alterum autem *Adlocutio ad Sponsam* ap. Burm. II 259. Meyer I 260. Panegyricum in talibus modum Graeci pariter atque Romani videntur adamavisse: illis quidem Dionysio Hal. Rhetor. 4 teste *λόγος ἐπιθαλάμιος* species fuit generis dicendi demonstrativi: his autem epithalamia inde a primo p. Chr. saeculo exeunte ad exemplum, quod Statius praeiverat, composita sunt relicto eo genere, quod Catullus induxerat. Lucanum panegyricam epithalamii speciem sibi sumpsisse Statii versus 62 fidem facit. Adlocutionem ad Pollam in silvis Lucani, de quibus mox dicetur, fuisse plane vaga est Barthii coniectura; nam ne carmen quidem fuisse certo definiri potest.

VII. Iam iam Statium, quem adhuc cum Vacca coniunctum ducem secuti sumus, relinquamus huius solius fide de aliis quibusdam Lucani operibus dicturi. Etenim Statius, cui interfuit insignia tantum Lucani scripta enumerare, quaecunque rebus aut verbis minus praestiterint videtur omisisse; Vacca autem enumeravit quotquot tunc temporis extarent. Inter iliacon et catachthonion libros ponit *saturnalia* titulum, qua re adductus Weberus ind. scholl. Marb. 1857. p. 9. n. 54 ad puerilia quoque Lucani scripta pertinuisse illa saturnalia credidit. Quod ego nescio, cum Vacca temporum ordinem in illa enumeratione non videa-

tur accurate servasse: imo ex Martialis verbis epigr. X 64, 3 *vates* (Lucanus) *Heliconis gloria nostri* sqq., ad quae infra deducetur disputatio, colligere posse mihi videbar, saturnalia Lucanum intra annum DCCCXIIII et DCCCXVIII scripsisse.

Notus est mos Romanorum XII Saturnaliorum diebus amicis dona mittendi plerumque cum versiculis nonnullis in tenui charta scriptis adpensis adligatisve; Augusti torta epigrammata, quae Saturnalibus amicis una cum donis modo pretiosis modo trivialibus transmiserit, commemorat Suetonius Oct. 75, Adrianum saturnalia et sigillaritia frequenter amicis inopinantibus misisse tradit Spartianus V. Adr. c. 16. Tales versus rei natura iocosi erant lascivique, ut disertis verbis Martialis epigr. XI 15, 3 *hic totus volo rideat libellus Et sit nequior omnibus libellis — — ludat cum pueris, amet puellas Nec per circuitus loquatur illam, Ex qua nascimur omnium parentem, Quam sanctus Numa mentulam vocabat. Versus hos tamen esse tu memento Saturnalicios, Apollinaris, Mores non habet hic meus libellus* et Statius silvv. I 6, 5 sq. *et multo gravidus mero December Et ridens iocus et sales protervi Adsint* sqq. Sed quid plura de rebus, quas ex Martialis epigrammatum libro XIIII norunt perspectamque habent omnes. Quod ad Lucanum nolo hic nimis premere codicem Plinii Pragensem, qui inter lascivos poetas, qui enumerantur Epp. V 35, Lucano post Senecam locum dat, in quam rem aliquatenus facere videtur quoque codex Parisiensis B. Sed auguror coniectura ex Saturnalibus fuisse illum lascivum versum Lucani, quem Martialis simili modo, quo XI 20 sex versus Caesaris Augusti servavit, inseruit in epigramma ad Pollam datum X 64:

Contigeris regina meos si, Polla, libellos,
non tetrica nostros excipe fronte iocos.
Ille tuus vates Heliconis gloria nostri
Pieria caneret cum fera bella tuba,
Non tamen erubuit lascivo discere versu:
Si nec paedicor, Cotta, quid hic facio?

in quo Salmasium recte *paedico* scripsisse existimo. Quod ad rem optime ille versus Saturnalibus assignatur: accedit praeterea, quod singularem epigrammatum librum a Lucano editum esse nesciamus, nisi quis forte illa *appamata,* quae emendationem adhuc manent, in *epigrammata* mutanda esse evincet. Feruntur quidem epigrammata quaedam Lucani, quorum fortasse nullum ad eum pertinet. Collectionem eorum quantum scio bis impressam servat bibliotheca Barberinorum cf. catal. bibl. Barberinae p. 637; ipsam inspicere mihi non licuit, quae in Germania prorsus videtur esse ignota, cum neminem eius mentionem qui fecerit invenerim. Ex illorum epigrammatum numero est fortasse illud, quod extat apud Vincentium Bellovacensem Specul. doctr. IV c. 162: *de cupiditate secundum poetas: ut Lucanus:*

nemo nimis cupide sibi rem desideret ullam,
ne cum plus cupiat, perdat et hoc quod habet.

idque unicum est epigramma, quod Lucani nomine antiquitus inscriptum novimus; nam epitaphium, de quo supra p. 32 diximus, quodque in anthologiam latinam Burm. II 229. Meyer. I 839 derivatum est, forte unus erit qui Lucani ipsius manibus deberi credat Baehrius in Paulyi Enc. real. antiq. IV p. 1154.

VIII. Deinde Lucanum *decem silvarum libros* scripsisse tradit Vacca. *Silva* vocabulum sive ex graeci sermonis imitatione sive ex latini, ut equidem puto, indole tralatum est, inde a Plauti aetate ad rerum variarum copiam significandam usurpatum mox in librorum inscriptionem abiit. Primum quidem non »quia rudia ipsis scriptoribus visa sunt et impolita et lignorum modo ex silva excisorum similia, utpote quae magnam partem extemporali impetu et subitis versibus fusa sint«, sed in libris varia doctrina variisque rebus repletis locum habuisse ex Auli Gellii Noctt. Atticarr. praefatione videtur apparere: § 5 *nam quia variam et miscellam et quasi confusaneam doctrinam conquisiverant; eo titulos quoque ad eam sententiam exquisitissimos indiderunt. Namque alii Musarum inscripserunt, alii silvarum, ille πέπλον, hic Ἀμαλθαίας κέρας, alius κηρία, partim λειμῶνας quidam lectionis suae, alius antiquarum lectionum atque alius ἀνθηρῶν et item alius εὑρημάτων.* Eadem vox *silva* in extemporali scriptione est usurpata, teste Quintiliano inst. X 3, 17 *diversum est huic* (cui nihil in emendando satis est) *eorum vitium, qui primo decurrere per materiam stilo quam velocissime volunt et sequentes calorem atque impetum ex tempore scribunt; hanc silvam vocant. Repetunt deinde et componunt quae effuderant: sed verba emendantur et numeri, manet in rebus temere congestis quae fuit levitas.* A qua commentandi specie tralata est vox ad carmina, quae »subito calore et quadam festinandi voluptate fluxerunt«, ut Statii in praefatione silvarum verbis utar, qui idem de carminibus suis »nullum ex iis biduo longius tractum quaedam et singulis diebus effusa esse« gloriatur. Tales Lucani quoque silvas fuisse verisimile est, quas decem fuisse vitae auctor tradit:

nimirum decem libros, nam unum carmen non facit silvam neque *silvarum X* recte scribi potuit, nisi libri subaudirentur. Quare mirus videtur Barthius, ut fuit rerum mirabilium saepe et auctor et fautor, qui ad Stat. Theb. VI 322 haec scripsit: »librum Sylvarum unum intelligimus deinceps qui carmina habuerit decem. Nam si decem libros confecisset talium Lucanus, utique a grammaticorum vel uno aliquo tot millia carminum in testimonium vel semel producta forent, cum praecipue amoenissima procul dubio fuerint. (!) Inde fortasse ductum carmen ad Pisonem, quod membranas Lucano adscribere notant docti.« Ut priora Barthio condonemus a recta ratione abhorrentia, quantum ad carmen in Pisonem, quod inde a H. Iunio haud pauci Lucano adscripsere, — sed cur rem repetere, quae Calpurnio auctore invento profligata est. Statium has Lucani silvas imitatum esse, quod compluribus et prioris et nostrae aetatis hominibus visum est, verum et falsum pari iure dici potest: certum nihil est, nisi Lucanum ante Statium scripsisse.

VIIII. *Tragoediam Medeam imperfectam*, quam deinde nominat Vacca, Mart. Delrio in syntagmate tragoediae Latinae, Antv. 1593. inter Lucani opera numeravit Statio et Quintiliano auctoribus: nos nec Statium nec Quintilianum quicquam de ea tradidisse neque significasse scimus neque tempus, quo suscepta sit: quare nominasse contenti acquiescemus, postquam protulerimus O. Iahnium, qui in prolegg. ad Pers. p. XXIII illam Lucani tragoediam imperfectam ita haud improbabiliter interpretari sibi visus est, ut iuvenile opus postea ab eo derelictum esse dicamus, ideoque fortasse a Statio non esse commemoratum. Quam sententiam et accipere et reicere pari iure licet; cum neutri parti neque documenta neque argumenta auxilientur; nam

Statium integrum Lucani operum catalogum contexere non voluisse certum est.

X. Post tragoediam Medeam imperfectam ponit Vacca: *salticas fabulas XIIII,* quam vocem Fabricius B. L. II p. 384 eumque secuti Bipontini in *satyricas* mutavere, Ungerus l. c. p. 21 in *Sybariticas* (hoc erroris ordine: *Sibticae Sabticae Salticae*), easque putat illud famosum carmen fuisse, quo Lucanus Neronem eiusque amicos prosciderit. Contra G. I. Vossius de hist. latt. I 26 illis fabulis salticis »res ad saltus pertinentes scilicet amores satyrorum et nympharum«, Wernsdorfius P. L. M. IV p. 589 autem in *catagyneion* libro, quod idem cum salticis fabulis opinaretur, »amores Deorum et heroum quorumdam mulierosorum« tractasse censuit. Parum recte opinor ex titulo coniectura explicato uterque tale quid conclusere. Ipsum enim adiectivum quod est salticus Vossius oriundum putavere et Wernsdorfius a substantivo quod est saltus, uti fiat *coelicus* a coelo *astricus* ab astro. Equidem ita stare id censeo cum substantivo quod est saltus (a saliendo), uti *canticus* stat cum substantivo quod est cantus. Vocem *salticus* cum apud Tertullianum demum adv. gn. scorp. 8, loco omnibus lexicographis laudato, in quo non recte *psalticae* edidit Rigaltius, reperiamus, post hunc ab Aldhelmo de Virginitate c. 8 usurpatam, suspicetur fortasse quispiam, titulum a Lucano ipso profectum non esse. Quod si urgebitur et premetur, quamquam in linguae latinae historia etiam quae deperdita nos latent respicienda sunt, concedam ego, cum singulis fabulis proprias indidisse inscriptiones Lucanum verisimile sit. Nam de re ipsa ut iam proferam quod sentio, recte C. Barthius sensit, qui ad Theb. VI 322 illas salticas fabulas ita factas dixit, ut co-

ram populo saltari possent. In quam sententiam ingressus est quoque O. Iahnius prolegg. Pers. p. XXXIV Silonis simul et Itatii fabularum in usum pantomimorum scriptarum iniciens mentionem, quas ex Senecae Suasor. p. 20 et Iuvenalis sat. VII 92 novimus. Addantur igitur Lucani Itatiique nomina iis, qui pantomimis fabulas scripserunt, ex quibus unum Silonis nomen servatum esse adhuc putatur. De ipsis pantomimis dicendi locus hic non est.

XI. Sequitur in vita Vaccae corruptela: in codice optimo Monacensi *appāmata,* in Bernensi et Wallersteinensi *ippamata,* unde factum *hippamata,* quod est in edd. 1477, Brixiana 1486 etc., *hippomata,* quod extat in editionibus 1475 et 1492. In qua voce coniectura explicanda sanandave cum multum elaboraverint viri docti, laetissimam licet metere rerum mirabilium messem. Pauca decerpam. Atque Barthius quidem, a quo initium ducatur, ad Theb. VI 322 coniunctis verbis quae sunt *hippamata prosa oratione in Octavium Sagittam et pro eo* haec habet: »hippamatum inscriptionem odorari mihi videor quasi Nervo debitam, cum contra Sagittae habentem vocabulum adversarium ea opuscula scripta fuerint. Quid enim dignius quam Sagittae expellendae nervum adhibere? *Ἵππεια* autem talis nervus Graecis, Hesychio demonstrante: *ἵππειαν, τὴν ἵππον, ἔνιοι δὲ τῶν τόξων νευρὰν, τὴν ἐξ ἱππείων τριχῶν.* Clarum ergo allusione inimici nominis Hippamata Sagittae opposuisse Lucanum.« Lylius Gyraldus et post eum Bersmannus correxerunt *hypomnemata,* Martyni-Laguna *hyporchemata,* Weberus ind. scholl. Marb. p. s. a. 1856 p. 24 *hippasmata,* equitationes, cursus equestres, quo fortasse famoso carmine Neronem de studiis equorum gravissime

prosciderit. Idem cogitavit de substituendo *epigrammata*, in quam coniecturam quoque Ungerus suo Marte l. c. p. 21 incidit. Res nunc quidem inexplorata relinquenda, emendatio autem incipienda non ab eo quod est *hippamata* vel *ippamata*, sed ab eo quod est *appāmata* inque eo codice servatum, qui *καταχθονίων* titulum solus recte exhibuit. Vaccae verba perverse, ut vidimus, Barthius iunxerat; idem quae sententiae suae apta non viderentur *et pro eo* pro glossa vel pro corruptela habuit, ex qua vocem *Orpheus* eliceret, hunc operis titulum nacturus *Orpheus de incendio urbis*. Sane enim celebrem fuisse Lucani Orpheum et alioquin hic non nominari. De cuiusmodi opinionibus post ea, quae supra allata sunt, amplius dicere iam non attinet. Dubitatio nulla habet locum. Operum poeticorum catalogum claudit Vacca diserte adiecta ad postremum vocabulum voce *et*; deinde pergit

XII. *prosa oratione in Octavium Sagittam et pro eo* quae verba recte coniunxit Nic. Antonius Bibl. Hisp. vet. I 10 p. 57. Ille Octavius Sagitta, integro nomine Octavius Sabinus Sagitta, senatorii ordinis, a. u. DCCCXI tribunus plebis occiderat Pontiam Postumiam stupro cognitam et nuptias suas abnuentem impotens amoris v. Tac. H. IIII 44 cf. A. XIII 44; postulatusque apud consules a patre interfectae, postquam tribunatu abierat, sententia patrum et lege de sicariis condemnatus (A. XIII 44) in insulam, Nerone mortuo ex exilio redux senatusconsulto repulsus est (H. l. c.). Exercitationis gratia Lucanum intra privatos parietes aut in schola hanc causam declamavisse fidem faciunt verba *et pro eo*. Eundem enim hominem in eadem re et accusare et defendere exercitandi gratia solebant non iuvenes

tantum, sed viri etiam oratoria laude florentes. Quod cum ita sit, utrum a. u. DCCCXII an postea aliquando hanc causam declamaverit Lucanus, diiudicari certo nequit.

De incendio urbis orationem sive librum prosarium, quem deinde ponit Vacca, cum supra iam absolverimus, restat disputationi solus liber a Vacca postremo loco significatus:

XIII. *Epistolarum ex Campania.*

Annaeis in Campania rura fuisse ex L. Annaei Senecae vita notum est; itaque non improbabile erit huc referre mutilata verba quae sunt in Suetoniana Lucani vita: *Hic* (sc. Lucanus) *initio adolescentiae cum ob infestum matrimonium patrem suum ruri agere longissime cognovisset* ***«, et ad a. u. DCCCVIII vel DCCCVIIII pertinere credere illas epistolas. Quae eaedemne sint an non atque eae, quas commemorat Sicco Polentonus, nemo dixerit. Polentoni locus a Webero allatus hic est libro IIII de vitis scriptt. illustrr.: (Persius et Lucanus) *Cornuti auditor fuit uterque ac saepe ut iuvenes solent epistolis ac disputationibus concertabant. Extant quas vidi ac fortasse aliae quaedam epistolae utriusque amice ac familiaritate utrumque* (*familiariter utrimque:* Weberus) *scriptae.* Atque Polentonum quidem ut foedum impostorem mittamus. Epistolis autem a Vacca nominatis si forte fraus subest, grammatico huic quidem inurere notam non iure fit: ex antiquitatis scholis, quae primo alteroque p. Chr. saeculo fuere, scimus tales profectas esse epistolas ut sunt Horatii, quas Suetonius iam novit, et Senecae ad Paulum datae.

XIIII. *Carmen famosum* denique, quo cum ipsum Neronem, tum potentissimos amicorum gravissime proscidisse Lucanum auctor est Suetonius, prorsus nos latet fortasse

matura, ut in talibus fit, oblivione obrutum. Varias VV. DD. de eo coniecturas, cum supra iam passim commemoraverim, hic nolo recoquere propterea quod earum nulla ratione excogitata nedum verisimilis est. Pharsaliam fuisse illud famosum carmen, quod Reimaro obtruditur a Webero, minime huius viri fuit sententia, qui, postquam ad carmen famosum a Suetonio commemoratum animum advertit, ad Cass. Dion. LXI 21 v. f. imo iam in Pharsalicis pungere videri Lucanum passim Neronem addit.

XV. His carminibus Lucani deperditis Scaliger in schedis manuscriptis, quas Burmannus inspexit, addidit elegiam, quae extat in anthologia Burmanni II 131 in Scalig. Catall. p. 185 in Pithoei epigramm. et poematiis vett. IIII p. 189. Quod carmen triginta sex versuum elegiacorum in codice Vossiano inscribitur *de malo belli civilis* in Burmanni anthologia *de Maevio, qui tempore belli civilis fratrem ignarus interfecit;* res autem in eo narrata, quae per totam p. Chr. antiquitatem fuit celebrata, breviter a Tacito Hist. III 51 Livio Epit. LXXIX pluribus ab Augustino de C. D. II 25 refertur. Lucani non esse id carmen dictionis genus manifesto declarat; ex schola quadam primi alteriusve p. Chr. saeculi provenisse ut credam, cum universus habitus facit, tum elegia apprime affinis, quae eandem rem narrans apud Burm. II 132 exhibetur.

Scripsit igitur Lucanus, ut quae adhuc fortasse longe disputata sunt in breve colligantur, Statio Suetonio Vacca testibus *laudes Neronis* et *Orpheum,* Statio Vaccaque perhibentibus *Iliacon, Catachthonion,* prosa oratione *de incendio urbis:* Statio solo auctore *allocutionem Pollae Argentariae;* Suetonio solo tradente *carmen famosum* in Neronem: Vacca solo teste *saturnalia, silvarum libros X,*

tragoediam Medeam imperfectam, salticas fabulas XIIII, **appāmata,* prosa oratione *in Octavium Sagittam et pro eo, epistolas* denique *ex Campania.*

XVI. Quae scripta non quidem fastidienda omnia dixit Vacca, ita tamen ut Belli Civilis videantur accessio. De quo Lucani carmine, ad quod iam ducetur disputatio nostra, cum ipsum ad nos pervenerit, et brevius in universum et in singulis accuratius absolvere licebit.

Ab inscriptione *Pharsalia,* quam usu inveteratam maximaque codicum parte firmatam recepimus, recedunt aliquatenus nonnullorum librorum inscriptiones; proxime absunt Vratislaviensis 2, qui *Pharsalidos libri X* inscripsit, et ii, qui *Pharsaliorum libri X* titulum habent. Sed plane aliud quid est in non paucis libris iisque bene antiquis: Lucani carmen enim inscribitur *Belli Civilis libri X* in codd. Bernensi n. 45 saec. IX Bruxellano 5333 s. XI Montepessulano n. 362 s. IX Erlangensibus 304 s. X et 856 s. XV, cui affine est *de Bello Civili,* quod invenitur in codd. Bruxellanis 5330 s. X 9977 s. XII Parisino 7936 s. XIIII. Atque priori quidem inscriptioni unice favere videtur Lucanus ipse, qui libro nono v. 984 sqq. haec habet de carmine suo:

quantum Smyrnaei durabunt vatis honores,
venturi me teque legent: Pharsalia nostra
vivet et a nullo tenebris damnabitur aevo.

Alteram autem medii aevi librariis ut tribuam, a me non possum impetrare. Lucani carmen enim *Bellum Civile* inscriptum fuisse cum Petronii verba c. 118 *ecce belli civilis ingens opus* (loquitur de Pharsalia) *quisquis attigerit nisi plenus litteris sub onere labetur* eiusdemque carmen *de bello civili* adversus Lucanum scriptum indicare

videntur, tum Suetonii verba *dein civile bellum, quod cum Pompeio et Caesare gestum est, recitavit* et quae apud Vaccam sunt *reliqui enim VII belli civilis libri* sqq. *tales tamen ut belli civilis videantur accessio* manifesto declarant. In qua re ancipiti quid certum sit ac verum, diiudicare non ausim; quamquam pro mea parte Belli Civilis inscriptionem anteferendam opinor. Pharsaliae titulus, sive a Lucano est sive non est, bene indicat quod ex prooemio atque ex totius carminis indole concluditur, Lucanum proelium apud Pharsalum commissum ut rerum gestarum ita carminis quasi cardinem posuisse, etiamsi forte res postea usque ad Catonis Uticensis mortem gestas, si licuisset, erat additurus. Quale nunc habemus carmen, proponit bellum inter Caesarem et Pompeium gestum inde a primis causis initiisque usque ad Caesarem Alexandriae obsessum; ex quo carmine si verborum corruptelas et nonnullos versus interpolatos sustuleris, habebis credo opus ita ut Lucanus reliquit: neque suspicies sedulitatem interpolatorum, quos Guietus, homo sagacissimus, deprehendisse sibi est visus quibusque haud dubie tribuendos censuit versus I 160—182 238 282 436—440 599 665; II 72—75 80; III 600—646 659—669; IIII 30 45—47 78 98—120 528 625—626 674 815—824; V 106—111 164—189 281—283 358 450—456 494—497 573 650 721; VI 45—47 193—195 374 810—815; VII 49—51 139—150 301—310 415 678—727 860—872; VIII 295—310 479—481 552 VIIII 81 253—254 409—410 632 729—730 852—854 1001—1108; X 8 290 305 348; quibus CCCCXLVIIII versibus si addideris quos suspicionis nota signavit, plus quam octingentos habebis versus ab interpolatoribus infartos. De qua re suo loco aliquando dicetur: nunc, etsi illa,

quae de interpolationibus est, quaestio arcte cohaeret cum quaestione, quomodo Lucanus carmen reliquerit, ab eiusmodi disputatione est abstinendum.

Annus, quo primum ad bellum civile se contulerit Lucanus, accurate definiri nequit; at tamen coniectura prope ad verum accedi posse credo et confido. Comparantes enim ea, quae a Statio in silvis II 7 et a vitae scriptoribus Suetonio atque Vacca de Lucani operibus referuntur, facile cognoscimus post Orphea et laudes Neronis bellum civile canendum sibi sumpsisse; quas laudes cum a. u. DCCCXIII in certamine quinquennali recitaverit, expedita computatione nanciscimur, inde ab a. u. DCCCXIIII praecipue Pharsaliae vacasse. Quo anno cum vicesimum alterum aetatis ageret annum, bene quadrant Statii verba silvv. II 7, 64 sqq. *Mox coepta generosior iuventa Albos ossibus Italis Philippos Et Pharsalica bella detonabis.* Accedunt alia quaedam argumenta, quae iam iam proferam de editione carminis dicturus. In qua quaestione mirum quantum discessere virorum doctorum sententiae. Etenim cum alii ut G. I. Vossius et Oudendorpius Pharsaliam Lucano mortuo demum in lucem prodiisse censerent, quod Nero neque tam clemens fuisset, ut ferret multa adeo pro libertate dicentem, neque tam stultum, ut non intellegeret schemata, quibus dum laudari videretur, omnino vituperaretur: iteratae editionis ab auctore ipso institutae quaestionem, nostro tempore in nonnullis scriptoribus veteribus fortasse nimis temere iniectam, in Lucano Hugo Grotius movit, adductus illis locis, quibus singulis versibus eadem sententia ita repetitur, ut alter emendatione aut mutatione ortus videatur. Quod inde evenisse Grotius opinabatur, quod nonnulli versus a Lucano iterata Pharsaliae editione

emendati una cum antea vulgatis in contextum recepti essent. Grotius ad VI 187: »puto hunc locum unum esse ex iis, quos in secunda editione, ut fieri solet, mutavit Lucanus et priorem versum prius scriptum: postea eius loco substitutum alterum, hunc in modum: *Iamque hebes — perdidit.* Est enim hoc argutius.« ad VI 207: »Et hoc quoque libri nonnulli agnoscunt. At Ms. P. sic habet: *I. q. c. e. h. Sic. Lib. d. e. o. ab arm.* Quod et ipsum puto esse ex secunda et meliore Lucani editione. Neque immerito repudiavit illud de pelagi monstris ut alienum hoc loco.« (in edit. 2) ad VI 556: »hic versus cum seq. deest in Ms. P. forte et hoc ex emendatione Lucani aut Argentariae Pollae.« Locos, qui huius sententiae fontes fuerunt, propriae disputationi seponentes in historiam Pharsaliae criticam inserendae, videamus iam de editione carminis a Lucano facta quid ex traditione veterum cum rationis conclusione coniuncta sit statuendum. Scimus carmen de bello civili quominus absolveret, morte inopinata prohibitum esse Lucanum. Quodsi ultimam carminis partem ipse edere non potuit, priorem semel an iterum ediderit quaeritur. Itaque ut quaestionem recte instituamus, primum repetamus inde ab a. u. DCCCXIIII praecipue ad Pharsaliam sese contulisse poetam, ut decem carminis libros necessario intra hunc et a. DCCCXVIII composuerit, quo morte obiit. Tempus vero, quo singuli scripti editique sint, accuratius definituris tam facili negotio absolvere rem non licet; cavendumque in altera parte est, ne vagis coniecturis indulgeamus. Quare nolo quasi fundamenti loco ponere, Persium ubi de poetis sui temporis dicat, qui graece nugari soliti subito res Romanas grandi carmine illustrandas sibi sumant, Neronem et Lucanum notasse videri: unde ante

a. DCCCXV notum fuisse Lucani carmen adpareret; nec volo nimium premere locos, in quibus Lucanum aperte imitatus est Martialis et quidem in iis epigrammatum libris, quos ante a. 64 composuisse verisimile est. In ipso autem Lucani carmine inest aliquid, quod tempus, quo scriptum sit, definituris egregie consulit. Breviter exponam. Lucanus Athenis reversus additusque a Nerone cohorti amicorum recitavit a. u. DCCCXIII laudes Caesaris, cuius in gratia amicitiaque permansit usque ad annum DCCCXV exeuntem vel DCCCXVI ineuntem, quo tempore videtur animo esse mutatus. Atque haec animi mutatio inter ipsum scribendum orta in carmine conspicua est. Etenim cum initio Pharsaliae Neroni egregie adulatus sit poeta, in media parte non assentatur, in extrema autem eius invidiam praeoccupat IX 983 sqq., quos versus supra allatos anno DCCCXVII scripsisse verisimillimum est, Nerone famam carminum Lucani premente. Ceterum, ut statim hoc dicam, quae scholia narrant de ironia Lucani totum carmen obsidente, non sunt verisimilia nedum vera, quod ut refutando eorum explicationes ineptas ad I 55 sqq. adscriptas confirmem, necessarium non puto. Quamquam cum G. I. Vossio aliisque Oudendorpius etiam se non credere dixit, vere adulatum esse Neroni Lucanum, quod non credibile sit, poetam in principio operis Caesari assentatum, dein orta inimicitia inter eos illum deridere incepisse. Semper eius carminibus iniquiorem fuisse Neronem atque aemulatione vanum, ut pateat ex Tacito Suetonio et Dione. Ex iis, quae supra dixi, patet eam Pharsaliae partem, quae Neronis laudibus aperte faveat, ante quam inimicitia orietur h. e. ante a. DCCCXV exeuntem vel DCCCXVI ineuntem esse compositam. Iam vero accurate examinantes

verba Lucani, tectos et duplices sensus cum scholiastis anxie non quaerentes, sed legentes quae manifesta sunt tribus primis libris Pharsaliae odii adversus Neronem concepti nullum extare vestigium cum cernamus, hos ante a. DCCCXVI exeuntem compositos et editos esse, haud temere affirmare videor. Accedit enim cogitatio, quod Lucanus orta inimicitia si tres primos libros nondum edidisset, haud dubie locos erat mutaturus, qui toti essent in adulatione principis. Nobiscum hoc tenentibus bene facit Vacca, cui cur fides derogetur rebus supra expositis nemo habebit; hic enim scribit *quippe et ex tempore Orphea scriptum in experimentum adversus complures ediderat poetas et tres libros, quales videmus.* et paulo post *reliqui enim VII Belli Civilis libri locum calumniantibus tanquam mendosi non darent, qui tametsi sub vero* (*vano:* Barth. Advv. XXIII 3) *crimine non egent patrocinio: de iisdem dici quod in Ovidii libris praescribitur potest: »Emendaturus, si licuisset, erat«.* A quo testimonio proprie erat tota disputatio incipienda, nisi praemittere aliorum sententias potius esset visum, ut quae dicenda restabant continuato ordine proferrentur.

Oritur altera quaestio de septem reliquis Pharsaliae libris, ex quibus singulos Lucanus amicis forte recitasse, edidisse autem utpote nondum emendatos non est putandus, siquidem Vaccae fidem habemus. Demus autem ex his etiam libris nonnullos a Lucano ipso esse publici iuris factos, in decimo semper quaerendum erit quisnam Lucano mortuo ediderit aut cum ceteris coniunctum aut separatum. In re incerta varie fluctuaverunt sententiae, quas examinando iam iam instituamus disputationem aut Varios Plotios Cornutos reperturi aut nihil certi nos scire ingenue

confessuri. Uxorem Lucani, quam Pomponius Infortunatus in vita ap. Oudend. praef. †††††2 *a* tres priores libros cum marito correxisse primus a. 1469 narravit, Pharsaliam omnino castigasse Grotius ad VI 556 (v. supra) imperfectamque supplevisse Franciscus Guietus suspicati sunt. Guietus in notis margini ed. Grotianae adscriptis, quas typis mandavit Oudendorpius in editione sua p. 886—910, ad VII 235—249: »Lucani esse non videntur, sed cum hic quaedam deficerent, ab interpolatoribus suppleta. Quid si a Polla Argentaria, Lucani uxore?« ad VIIII 691—693 »quae sequuntur Lucani esse non videntur. Fortasse a Polla aut aliquo alio addita fuerunt, ut locus imperfectus compleretur. Liquet e Lucani vita, tres libros Pharsaliae tantum ab eo perfectos, reliquos inchoatos relictos«. Quod illi suspicati erant viri, Oudendorpius (praef. edit. p. III et in adnotatione ad. G. I. Vossii de histt. latt. I 26 verba) et Weberus pro certo habuerunt, ut temere eos secutus Kaestnerus quaestt. in Luc. Phars. p. III 1827 p. 21 satis constare dixerit, mutata quaedam esse in imperfecto opere et perpolita post obitum poetae a Polla Argentaria, ut dubitationi pateat locus et quaestioni, quae ipsi Lucano et quae illi debeantur. Fons omnibus fuit Pomponius Infortunatus l. c., qui unde hanc famam hauserit, parum liquet. Nam praeter vitas ambas et Statium Tacitumque et Iuvenalem ignotis subsidiis ac fontibus non est usus: neque ex scholiis adhuc ineditis iisque veteribus id, quod refert, petisse credo. Nam etiamsi scholia codicum Italorum in verbis discedant a nostris, tamen in rebus mire consentiunt, praecipue in iis, quae antiquitatem prae se ferunt, ut toto caelo erret Maius, qui in Spicileg. Romani T. IX p. 69 (glossarii novi) specimine scholiastae

Lucani inediti communicato nova ab ceteris plane diversa scholia invenisse sibi visus est. Quae cum ita sint magnopere diffiteor, ne Pomponii itaque universae rei fons in Apollinaris Sidonii loco male intellecto vel adhibito quaerendus sit. Sidonius enim epistt. II 10 p. 54 ed. Sirm. scribit: *Certe si praeter rem oratoriam contubernio feminarum poeticum ingenium et oris tui limam frequentium studiorum cotibus expolitam quereris obtundi, reminiscere quod saepe versum Corinna cum suo Nasone complevit, Lesbia cum Catullo, Caesennia cum Gaetulico, Argentaria cum Lucano, Cynthia cum Propertio, Delia cum Tibullo.* Pomponius cum ex vita a Vacca scripta sciret, Lucanum tres primos libros ipsum edidisse, ex hoc autem loco Pollam saepe cum eo complevisse versum disceret, facile haec coniunxit. Ex eodem Sidonii loco hausit Baptista Fulgosus de gestis memorabb. VIII 3 p. 277, qui »Polla, inquit, tanto ingenio doctrinaque fuit, ut coeptos a viro permultos versus ipsa eadem stili gravitate atque elegantia perficeret, atque epigrammata etiam peritissime conscriberet.« Nos, qui de illo contubernio feminarum poetico aliter sentimus, Pollam Pharsaliae reicimus emendatricem, quae omnino adiutrix esse non potuit, cum a. u. DCCCXVII in matrimonium ducta, tres primi autem libri ut vidimus, ante a. DCCCXVI exeuntem editi a Lucano sint. Neque mortuo marito carmen castigasse credo, nisi forte, ne plane vaga res coniectura careat, admiratores Pharsaliae petisse velis ab Argentaria, ut exempla ad manum auctoris castiganda curaret, quod alias factum scimus. Sed cur commemorari in vagis commentis, quae pari atque in Lucano iure in quovis scriptore vetere moverit aliquis, dum modo ille uxori non fuerit superstes.

Mittamus igitur Pollam Argentariam, quam quantum scimus nemo ante Pomponium narravit Pharsaliam castigasse atque emendasse.

Alium operis postumi editorem in scholiis, quae modo in transitu tetigi, reperisse nonnulli viri sibi visi sunt. Referunt enim scholia verbis quidem discrepantibus, sed miro in re consensu, Senecam septem primos Pharsaliae versus addidisse. Quod enim ad libri primi primum septimumve versum brevissime in nonnullis codicibus adscriptum est HVC VSQUE SENECA MODO LVCANVS, multis exponitur in plerisque saeculi XII XIII que libris, Senecam carmini, quod ex abrupto inchoaret, versus septem primos addidisse. v. scholia coll. Web. p. 3, 4, 7; alia ap. Spengel. spec. lectt. in Catull. Monach. 1827 p. 16; Osann. de deperditis L. Annaei Senecae scriptis P. III. Giss. 1848. p. 8 sq. Unde totam Pharsaliam ab eodem esse editam parum recte quidam collegerunt; nam nisi de septem primis versibus a Seneca additis nil scholia dicunt. In rem ipsam inquisituri incipiamus ab ipso illo Seneca disputationem videamusque quisnam fuerit. Patruum (falso avunculum) fuisse scholia perhibent, nos non credimus, cum Tacitus et Dio ante Lucanum obiisse referant. Quod ii scire debuerunt, qui scholiorum narrationi insistentes in vita Lucani Suetoniana pro *patrem patruum* scribendum esse censuere hunc ad modum: *Impetrato autem mortis arbitrio libero codicillos ad patruum corrigendis quibusdam versibus suis exaravit* sqq. Quod si saeculi p. Chr. decimi tertii homo fecisset, non perverse egisset, cum a chronographis ex Herimanni Augiensis auctoritate (qui Hieronymo male usus est) L. Annaeus Seneca duobus annis post Lu-

canum interfectus esse scriberetur, ut in Annalibus Mellicensibus ap. Pertz. M. G. H. Scriptt. XI p. 485 et in Annalibus Scti Rudberti Salisburgensibus p. 761 ibid. legitur:

a. 65. Neronianae thermae a Nerone aedificantur.
Persius et Lucanus poetae moriuntur.
a. 67. Nero magistrum suum Senecam interficit.

Osannus Taciti narrationem secutus, cum de patruo Lucani cogitari non posse cerneret, simulque mente teneret, patrem pecuniae per procurationes faciendae quam versibus componendis fuisse intentiorem, aliud quid tentavit jussitque in illo Suetonii loco pro *ad patrem* scribere *ad fratrem*. Quam coniecturam non accipio idcirco, quia de fratre Lucani nil omnino, nedum de fratre nomine Senecae, compertum habemus. Osannus affert quidem quam Reiffenbergius in Annalibus Bruxellanis descripsit glossam Pharsaliae et Lerschius in Museo praeceptorr. Rhenan. Guestph. 1845 p. 264 quoque edidit, in qua (cod. Bruxell. 5330. s. X. fol. 1) haec sunt: *hic autem Lucanus — — qui et fratrem habuit Senecam: cuius extant multae tragoediae et orationes et dialogi plurimi de morali philosophia.* Apage commenta ex erroribus petenda! Pro *fratrem* ibi scribendum esse *patruum* lucidissime apparet, cum patrui scripta dicantur; quamquam minime gentium negaverim, expositorem, qui hanc glossam scripsit, fortasse ipsum ex scribendi errore vel ex inscitia de fratre Lucani cogitasse. Accedit quod Osanni coniectura opus non est, quia is, ad quem codicilli dati sunt, poeta fuerit minime est necesse; nam in codicillis correctionem ipsam, quam mandatum versus quosdam ad arbitrium mutandi infuisse verisimilius censeo. Ad Pharsaliae denique prooemium Sue-

tonii verba pertinere ne ulla quidem littera indicat. Mittamus igitur cum patruo etiam fratrem Lucani Pharsaliae editores vagis coniecturis invectos.

Fuere deinde qui de grammatico quodam iuniore nomine Senecae cogitaverint, ut Martyni-Laguna ap. Weber. scholl. Luc. p. 7 n. 13; quod non adeo est improbabile, ut expendi non debeat; praesertim cum alia quaedam eius vestigia extare videantur. In qua re satis habeo ad ea, quae G. I. Vossius ad Catull. p. 284 sq. composuit, animum advertisse, etsi in Catulli carminibus hodie nemo de grammatico vetere, sed de Thoma Seneca, qui s. XV praeceptor Anconae fuit, omnes cogitant. Ipse nunc obscuro et lubrico campo egrediar aliamque argumentationis rationem inibo. Inspiciamus quaestione de Senecis missa ipsum Pharsaliae prooemium; quod qui a Lucano profectum esse nolunt, satis antiqui temporis esse concedent. Adfertur enim versus primus a Servio ad Aen. I 1 et ab auctore grammaticae artis, cuius fragmentum Censorino plerumque adscribitur (Lachmannus in exempli sui margine haec plumbo notaverat: »Caesium Bassum suspicor, alias accuratius de hac re; Diomed. p. 513«) cap. XV. p. 99 ed. Iahnius; tertius in Prisciani institutt. VII. 14, 70: sexti hemistichium a Valerio Probo p. 1394, 12 P., I p. 49 Lindem.; septimus a Servio ad Ge. I 489. Sed mittamus grammaticos, cum altius regredientibus liceat proferre Frontonem, qui p. 249 ed. Mai. p. 125 ed. Nieb., postquam vitium illud dicendi, quo eadem ad nauseam usque recoquantur, in Seneca philosopho vituperavit, *Unum,* inquit, *exempli causa poetae prooemium commemorabo, poetae eiusdem temporis eiusdemque nominis (fuit aeque Annaeus); is initio carminis sui septem primis versibus nihil aliud, quam »bella plus*

quam civilia« interpretatus est. Nu[nc hoc] *replicat quot sententiis! »Iusque datum sceleri« una sententia est; »in sua victrici conversum viscera« iam haec altera est: »cognatasque acies« tertia haec erit: »in commune nefas« quartam numerat: »infestisque obvia signis« appellat quoque quintam: »signa pares aquilas« sexta haec Herculis aerumna: »et pila minantia pilis« septima, de Aiacis scuto corium. Annaee, quis finis erit? aut si nullus finis neque modus servandus est, cur non addis: et similes lituos? addas licet et carmina nota tubarum.* Ipso vero Frontone propius ad Lucani tempus accedit Statius, qui ut diligenter omnino Lucani vestigia legit, ita ex aperta imitatione Theb. I 1 et 184 *fraternas acies* se canturum promittit. His, quae modo allata sunt, de Seneca iuniore quodam, prooemii auctore, cogitari non posse: imo auctorem, si fuerit alienus, aequalem Lucani fuisse luculenter apparet. Senecam autem tunc temporis fuisse praeter L. Annaeum nescimus, quod supra p. 10 sq. iam est demonstratum, neque Annaeos praeter M. Annaeum Melam et L. Annaeum Novatum novimus. Fides scholiorum narrationis igitur gravissime deminuitur atque tota evanescit, cum cogitamus, neque in verbis neque in sensibus prooemii quicquam inesse, quod a Lucani aut ingenio aut usu loquendi alienum sit. Deinde vero Lucanus tres primos libros sine prooemio neque recitasse neque edidisse est putandus, cum hunc morem epici carminis bene servaverint poetae Romani. Famam igitur illam, versus septem primos Pharsaliae a Seneca additos esse, Frontoni certe ignotam neque aliunde traditam, tamen fortasse ante saeculum VII p. Chr., quo scholia nostra orta videntur, vulgatam utrum errore an fictione ortam esse dicam, ambigo.

Quae dum scribo, mentem subit cogitatio, ipsum Frontonis locum fortasse fontem fuisse illius fabulae de Annaeo Seneca Pharsaliae prooemii auctore; qua suspicione orta quae olim ad explicandam fabulae originem excogitaveram adeo non placent, ut reprimenda censeam. His disputatis Weberi in diss. de spur. et male susp. Luc. verss. p. 425 sq. et Osanni in progr. Giss. 1848 et Spengelii in specim. lectt. in Catull. Monach. 1827 p. 16 argumenta, quae, Lucanum prooemii esse auctorem ut demonstrarent, sunt allata, paucis percensebo, quod proprie ab initio erat faciendum. Ex his Weberus l. c. versus illos Lucani esse putavit, primum propterea quod Servius et Isidorus versum septimum cum Lucani nomine afferant Senecae mentionem non inicientes. Hoc nihil demonstrare ex iis, quae supra exposita sunt, apparet: nisi forte aliquis et rerum scientissimos fuisse et accuratissime in talibus egisse grammaticos credere velit Spenglio, qui l. c. p. 16 ex Prisciani institt. XVII 13 verbis *Lucanus in primo »quis furor, o cives, quae tanta licentia ferri«*, conclusit, Priscianum nihil de Seneca prooemii auctore compertum habuisse. Nam si habuisset versus illos pro spuriis, dicendum ei fuisse *Lucanus in principio.* — Quod deinde obiecit Weberus, carmen sine iis versibus traditum mancum et imperfectum esse et *tanta licentia* versu octavo carere quo referatur, recte iudicavit Osannus. Hic quidem pro sua parte summum argumentum in eo vidit, quod sententiae prooemii non contradicerent sequentibus, cum quibus apte cohaererent. Quod levissimum est: quasi frater aut pater aut quicunque alius septem illos versus toti carmini adaptare non potuerit.

Haec fere sunt, quae de Pollae Argentariae et Senecae curis in emendatione Pharsaliae positis sentio. Quibus

prolatis ingenue fateor, septem reliquos Pharsaliae libros utrum amicus an grammaticus an affinis aliquis ediderit, me prorsus nescire. Itaque hac quaestione missa ad alia tendo.

Lucani Pharsalia statim videtur esse praelecta. Ac de praelectionibus quidem in universum non est cur nostra aetate dicamus, qua non antiquiores tantum, sed ex Caecilii Epirotae exemplo etiam aequales poetas tunc praelectos esse constat. Quaestioni autem multo graviori, quid praelectores spectaverint, ut respondeam satis habeo Quintilianum proferre, qui II 5, 4 *praelectio*, inquit, *quae in hoc adhibetur, ut facile atque distincte pueri scripta oculis sequantur, etiam illa, quae vim cuiusque verbi, si quod minus usitatum incidat, docet, multum infra rhetoris officium existimanda est. At demonstrare virtutes vel, si quando ita incidat, vitia, id professionis eius atque promissi, quo se magistrum eloquentiae pollicetur, maxime proprium est.* et Suetonium, qui de ill. gramm. 2 praelectores carmina diligentius retractasse ac legendo commentandoque etiam ceteris nota fecisse dixit. — Lucanum qui sibi sumpserit praelegendum, neminem novimus. At tamen quod a Fidentino (epigr. Mart. I 29, 53, 66, 72) et a Celere (ib. I 63) in Martialis vivi epigrammatis factum scimus, in Lucani et vivi et mortui praecipue Pharsalia idem factum esse certum videtur. Quod ne temere dicatur esse pronuntiatum, animum adverto ad Martialis versus epigrr. I 35, 1 sqq.: *versus scribere me parum severos Nec quos praelegat in schola magister, Corneli quereris* et VIII 3, 3 sqq.: *An iuvat ad tragicos soccum transferre cothurnos, Aspera vel paribus bella tonare modis, Praelegat ut tumidus rauca te voce magister, Oderit et grandis*

virgo bonusque puer. et ad Statii verba in fine Thebaidos posita XII 810 sqq. *o mihi bis senos multum vigilata per annos Thebai! – — Iam te magnanimus dignatur noscere Caesar, Itala iam studio discit memoratque iuventus.* Atque ex ipso praelectorum medio, qui quidem de carminum indole quoque pauca tradebant, puto provenisse illud de Lucano iudicium, quod Martialis in saturnalibus (XIV) 194 servavit:

Sunt quidam qui me dicunt non esse poetam:
Sed qui me vendit bibliopola putat.

quod distichon Schneidewinus, prolegg. in Mart. p. V, nescio qua re seductus ad Martialem pertinere dixit, cui eidem a poetis ipsum poetae nomen invisum esse perperam ex epigr. VI 64, 6 et XI 24, 8 conclusit. Praeterquam quod in Martiali tale dictum non haeret, codices diserte addunt lemma: *Lucanus in membranis.* Atque illa Lucanianae poeseos existimatio eadem videtur fuisse, quam postea a Petronii tempore i. e. ab ipsius ferme Lucani aetate continuato ordine per scholas usque in medium aevum videmus propagatam. Petronius satir. 118 (de Pharsalia): *ecce Belli Civilis ingens opus quisquis attigerit, nisi plenus litteris, sub onere labetur. Non enim res gestae versibus comprehendendae sunt, quod longe melius historici faciunt* sqq. Servius ad Verg. A. I 382: *quod autem diximus eum poetica arte prohiberi, ne aperte ponat historiam, certum est. Lucanus namque ideo in numero poetarum esse non meruit, quia videtur historiam composuisse, non poema.* Iornandes de rebb. Gett. c. 5: *Lucano plus historico quam poeta attestante.* Isidorus Origg. VIII 7, 10 (fortasse ex Suetonio): *officium autem poetae in eo est, ut ea, quae vere gesta sunt, in alias species obliquis figu-*

rationibus cum decore aliquo conversa transducat. Unde et Lucanus ideo in numero poetarum non ponitur, quia videtur historias composuisse non poema. Freculfus, episcopus Lexoviensis (c. a. 840), chronicorr. lib. II c. 16 fol. XXII *a* ed. Colon. 1539: *Tertia vero in sede supra mare ponticum iam humaniores et, ut superius diximus, prudentiores effecti, divisi per familias populi Vesegothi, qui et Getae sunt dicti. Quorum fuit studium primum inter vicinas gentes aliasque arcum intendere nervis, Lucano plus historico quam poeta testante. Ait enim, Armeniosque arcus Geticis intendite nervis. Hoc namque cantu maiorum facta modulationibusque et cithara cantabant.* Richerus (c. a. 997) histor. III 47 ap. Pertz. Scriptt. V p. 617: *legit itaque* (Gerbertus) *ac docuit Maronem et Statium Terentiumque poetas, Iuvenalem quoque ac Persium Horatiumque satiricos, Lucanum etiam historiographum.* Ioannes Saresberiensis (c. a. 1170) in Metalogic. p. 104 ed. L. B. 1639: *innuit poeta doctissimus* (Lucanus), *si tamen poeta dicendus est, qui vera narratione rerum ad historicos magis accedit.*

Ex Martialis illo epigrammate quod colligebatur, altero quoque p. Chr. saeculo factum esse testis est Suetonius in fine vitae qui dicit: *poemata eius etiam praelegi memini: confici* (*conscripsi,* glossa in Berolin. 35 *conspici,* in cod. Witt.) *vero ac proponi venalia non tantum operose et diligenter, sed et inepte quoque.* In quibus illud *confici* etsi obscurum depravatumve videtur, tamen non est, cur cum Theod. Cantero Epp. Casaubon. ed. Almelov. p. 646, quem complures viri secuti sunt, omnino aliunde ea assuta Suetonio esse arbitremur. Ea enim, quae non intelleximus, praecipue sunt in arte critica retinenda: et per-

verse agunt qui quodcunque eorum intellegentiam fugit pro falso vel depravato habentes statim supina falce resecare malunt, quam dum forte alius quis explicaverit, expectare. — Lucanum tunc multum iacuisse in scholis rhetorum poetarumque colligitur ex Quintiliani inst. orat. X 1, 90 verbis: *Lucanus ardens et concitatus et sententiis clarissimus et, ut dicam quod sentio, magis oratoribus quam poetis imitandus* et ex iis, quae Tacitus iuvenis scripsit in dialogo de Oratt. c. 20: *exigitur enim iam ab oratore etiam poeticus decor, non Attii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii et Virgilii et Lucani sacrario prolatus.*

Duorum inde saeculorum spatio interiecto, per quae studiose lectitatum fuisse Lucanum ex imitationibus eius modo concludi potest, novus historiae carminis fons aperitur ab Hieronymo, qui primus scholiorum in Pharsaliam mentionem facit, deinde a patribus quibusdam ecclesiasticis, qui singulos Pharsaliae versus scriptis suis inseruerunt et res, ut suspicor, ex scholiis petitas, postremo loco a grammaticis, qui saepe utuntur Lucano auctore, et a Paulo Constantinopolitano, qui Pharsaliam emendavit. De quibus rebus pariter atque de iis, quae sequuntur, alia erit dicendi occasio.

VITA SCRIPTORIS.

Franciscus Hermannus Genthe natus sum Islebiae d. IIII Non. April. MDCCCXXXVIII patre Friderico Guilelmo, praeceptore gymnasii Islebiensis ordinario, matre Henrietta ex gente Rosenkranziana, quibus superstitibus laetor. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis a praeceptore, qui privatum ludum exercebat, imbutus novem annos natus gymnasium regium quod Islebiae est adii in eoque versatus sum usque ad annum MDCCCLV, quo eodem tempore Fr. Ellendtius, praeceptor mihi optimus et dilectissimus, qui directoris locum obtinebat, matura morte obiit. Inde maturitatis testimonio instructus in universitatem litterariam Fridericianam Halensem cum Vitebergensi consociatam me contuli theologiae et philologiae operam daturus: itaque Bernhardyi Zacheri Erdmanni Leonis Pottii Tholuckii Hupfeldii Guerickii scholis interfui itemque seminarii philologici, cui tunc Bernhardyus solus praeerat, exercitationibus per duo semestria sodalis ordinarius. Philologiam, quam statim ab initio toto pectore eram amplexus, ut solam percolerem cum archaeologiae studiis coniunctam mense Octobri anni MDCCCLVII in universitatem litterariam Fridericam Guilelmam Berolinensem me contuli in eaque per tria semestria audivi disserentes Boeckhium Hauptium Trendelenburgium Hirschium, per idem tempus seminarii philologici, quod Boeckhius et Hauptius moderantur, sodalis ordinarius et exercitationum archaeologicarum, quas privatim instituit Gerhardius, socius. Quibus viris omnibus pro insigni qua erga me fuere benevolentia gratias habeo maximas.

SENTENTIAE.

1. Artis existimatio nisi certissimis legibus adstricta ab historia litterarum removenda est.
2. Litterae quae dicuntur nationales, non sunt nationales.
3. Fuere scholastici ante scholasticos, mystici ante mysticos.
4. In Euripidis Helena v. 1604 sqq.

   σπουδῆς δ' ὕπο
   ἔπιπτον, οἱ δ' ὠρθοῦντο, τοὺς δὲ κειμένους
   νεκροὺς ἂν εἶδες

   scribe ὠθοῦντο
5. In Apollonii Rhodii Argonauticis IIII 174 sqq.

   ὅσση δὲ ῥινὸς βοὸς ἤνιος ἢ ἐλάφοιο
   γίγνεται, ἥντ' ἀγρῶσται ἀχαΐνέην καλέουσιν,
   τόσσον ἔην πάντῃ χρύσεον ἐφύπερθεν ἄωτον.
   Βεβρίθει λήνεσσιν ἐπηρεφές.

   distingue — τόσσον ἔην· — — ἄωτον
   βεβρίθει κ. τ. λ.

6. In Manilii Astronomicis II 39 sqq.

quin etiam ritus pecorumque et Pana sonantem
in calamos Sicula memorat tellure creatus:
nec silvis silvestre canit perque horrida motus
rura serit dulcis Musamque inducit in arva

scribe *et* silvis.

7. In Taciti Agric. c. 16. didicere quoque hostes ignoscere vitiis blandientibus

scribe *ignavescere.*